



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii Dei

Hurtado de Mendoza, Pedro

Antverpiae, 1634

Disputatio XIII. Vtrùm Verbum humanitatem acceperit independenter à peccato, eam accepturum, si non peccasset Adamus? S. Thom. art. 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

DISPUTATIO XIII.

Vtrum Verbum humanitatem acceperit independenter à peccato, eam accepturum si non peccasset Adamus?

S. Thom. art. 3.

SECTIO I. Nonnulla praeimitto.

SECTIO II. Christus primo decreto ad ipsum terminato non fuit amatus passibilis, neque impassibilis.

SVBSECTIO I. Expositio sententiae.

SVBSECTIO II. Argumenta contra eam sententiam.

SECTIO III. Deus illo primo decreto voluit existentiam Christi propter nos & in emendationem peccati.

SVBSECTIO I. Sententia proposita.

SVBSECTIO II. Rationes aliquorum.

SVBSECTIO III. Impugnatur.

SVBSECTIO IV. Ratio à priori.

SVBSECTIO V. Ad argumenta.

SECTIO IV. Vtrum substantia Incarnationis fuerit decreta à Deo antequam peccatum praevideretur existere in statu absoluto?

SVBSECTIO I. Opinio S. Thomae.

SVBSECTIO II. Respondetur ad argumenta contra S. Thomam.

SVBSECTIO III. Ex hac sententia quem locum teneat Christus in decretis Dei?

SVBSECTIO IV. Respondetur ad argumenta.

SVBSECTIO V. Appendix de loco Mariae & immunitate à peccato originali.

SVBSECTIO VI. Quo pacto in hac sententia Christus sit caput angelorum?

SVBSECTIO VII. Conclusio.

SECTIO V. Conclusio P. Molinae.

SVBSECTIO I. Proponitur.

SVBSECTIO II. Examinatur argumentum primum à primo absurdo.

SVBSECTIO III. Examinatur secundum absurdum.

SVBSECTIO IV. Impugnatur à priori sententia proposita.

SECTIO VI. Sententia aliquorum Thomistarum.

SVBSECTIO I. Sententia Bartholomaei Medinae, & Petri Cabrerae.

SVBSECTIO II. Opinio Petri Lorcae.

SECTIO VII. Sententia de ordine intentionis & executionis.

SVBSECTIO I. Nonnulla praeimitto de ordine intentionis & executionis.

SVBSECTIO II. Sententia affirmans.

SVBSECTIO III. Prima probatio ex Augustino.

SVBSECTIO IV. Secunda probatio à ratione.

SVBSECTIO V. Impugnatur hic ordo intentionis & executionis.

SVBSECTIO VI. Alia eiusdem opinionis impugnatio.

SECTIO VIII. De ordine intentionis & executionis per actus confusos diuinae voluntatis.

SVBSECTIO I. Proponitur quaedam opinio.

SVBSECTIO II. In intellectu Dei non est actus praecisus.

SVBSECTIO III. Dei voluntas nihil amat confusè.

SVBSECTIO IV. Vtrum Deus amet aliquid indereminatè?

SVBSECTIO V. Nec hac sententia assequitur propositum.

SECTIO IX. Noua sententia.

SVBSECTIO I. Proponitur.

SVBSECTIO II. Explicatur ea sententia.

SVBSECTIO III. Prima impugnatio eius sententia ab identitate intentionis finis & electionis mediatorum.

SVBSECTIO IV. Secunda impugnatio, quòd non assequatur scopum ea opinio.

SECTIO X. Vltima sententia de intentione & executione.

SECTIO XI. Opinio de duobus actibus adequatis.

SVBSECTIO I. Proponitur.

SVBSECTIO II. Examinatur impugnatio Patris Vasquez.

SVBSECTIO III. Impugnatur opinio.

SECTIO XII. Propria sententia.

SECTIO XIII. Vtrum si Adam non peccaret, Verbum fieret homo?

SVBSECTIO I. Probatio sententiae.

SVBSECTIO II. Ex responsò ad argumenta explicata doctrina.

SVBSECTIO III. Respondetur argumentis ex sacra Scriptura.

SVBSECTIO IV. Respondetur ad Sanctos Patres.

SECTIO XIV. Vtrum decretum illud transeat in absolutum?

SECTIO XV. Finis, ordo decretorum Dei, locus Christi atque Mariae.

§. 1. **H**aec difficultas multis est implicata propter multitudinem rerum hinc illinc incurfantium, & infinitam opinionum siluam: quam commodius vreres, quàm cæderes. Propriam sententiam praeimitto, quia commodius est ad cæteras impugnandas, & totam quaestionem callendam.

SECTIO I.

Nonnulla praeimitto.

§. 2. **I**n quaestionibus de his quae Deus faceret in alia serie & ordine rerum, arguendum est ex reuelatione; Secundò, à simili; Tertiò, consequen-

ter ad opera nonnulla; Quarto, ex vi decretorum praesentium: an aliquis effectus ita sit amatus à Deo, vt non pendeat ab alijs? vt creatio à praedestinatione: an verò ab alio pendeat, absolutè aut sub conditione? vt communicatio iustitiae originalis omnibus hominibus amata fuit à Deo cum dependentia à perseuerantia Adami. Primum genus arguendi

s. Thom.
2. 2. art. 3.

guendi est certum: Secundum valdè incertum: quia in agentibus liberis non est necesse vt seruetur idè ordo. Tertium solet esse efficax. Quartum est scopus huius disputationis; an ex reuelatione Dei colligatur Deum amauisse Incarnatione cum dependentia à peccato Adami, ita vt eam esset recusaturus si non peccasset Adamus: an verò ita illi placuerit hoc mysterium, vt illud amauerit independenter à peccato, illudque esset peracturus, tamen si non peccaret Adamus?

§. 3. Secundò præmitto, Christum posse considerari redemptorem in actu primo, id est cum meritis alijsque circumstantijs, quibus proximè posset offerre Deo satisfactionem æqualem pro quolibet hominum peccato. Potest item considerari in actu secundo redemptionis, id est, amatus à Deo vt redimat hominum genus, & asserat in libertatem.

§. 4. Tertio præmitto, posse considerari Christum amatum à Deo vt redemptionem siue redemptorem in actu secundo amore absoluto, vel conditionato. Absoluto, quando viso peccato Adami, existente in statu absoluto, voluit Deus vt Christus esset redemptor: conditionato verò, quo velle vt Christus esset redemptor, si Adam peccaret, vt voluit Petrum æternum cruciari, si moreretur in peccato mortali.

SECTIO II.

Christus primo decreto ad ipsum terminato non fuit amatus passibilis, neque impassibilis.

SUBSECTIO I.

Expositio sententia.

§. 5. **D**ico Primò. In primo signo rationis, quo Deus intelligitur decreto absoluto & efficaci amare Incarnationem, voluit Christum secundum substantiam humanæ naturæ cum accidentibus humanis, quæ componi possunt cum carne proximè passibili & impassibili proximè. Itaque decretum illud indifferens est, vt ex illo sequatur aliud decretum de proxima Christi passibilitate, item & aliud de impassibilitate proxima. quia indifferens est, vt cum vtroque componatur, non quidem quòd in sensu composito vnus possit cum alio componi: hoc enim esset componere duo decreta repugnantia; sed quia decretum illud primum indifferens est ad vtrumque: quemadmodum potentia libera est indifferens ad amorem & odium: non vt illos actus simul componat; sed quia ipsa potest cum quouis componere. recognosce quod dixi disp. 12. §. 50. Item Christus ipse ex parte obiecti est indifferens ad proximam passibilitatem & impassibilitatem proximam. Quæ possunt explicari Primùm exemplo vocationis: Deus enim potest actu efficaci & absoluto velle Christum, quin eo actu velit absolute & efficaciter, vocationem Romæ aut Hierosolymis, aut alio in loco determinato: quia de vocatione determinata nihil vult absolute, sed sub conditione vna vult vocationem Romæ, sub alia verò conditione vult vocationem Hierosolymis. Idem dico de albe-

dine & nigredine, alijsque similibus accidentibus, ad quæ homo est indifferens, & quæ non sunt hominis propria. Secundò, potest explicari exemplo electionis ad gloriam, & reprobationis ad gehennam. Deus amauit nostram existentiam actu absoluto & efficaci, quo decreto nihil statuit absolute de hac electione, aut reprobatione, sed tantum sub conditione: quia si homo decederet in gratia habituali, donaretur gloria; si verò in peccato mortali, cruciaturus manciparetur æternis. Primum autem decretum de existentia hominis fuit indifferens vt componeretur cum actu absoluto de gloria, & cum absoluto actu de damnatione: quia substantia hominis secundum se est indifferens, vt componatur cum gloria & damnatione. Eadem ratione dico Deum primo decreto voluisse absolute & efficaciter solam substantiam Christi cum accidentibus humanis potentibus componi cum immortalitate corporis, & proxima passibilitate: de his autem duobus accidentibus nihil decreuit absolute, sed sub conditione: si enim non peccaret Adamus, Christus esset immortalis; si autem peccaret, esset obnoxius morti: viso autem peccato, decreta est absolute passibilitas Christi; si autem videretur carentia peccati, decerneretur impassibilitas Christi.

§. 6. Hæc conclusio est necessariò admitrenda ab omnibus Doctoribus, qui attestantur Verbum assumpturum humanitatem, tamen si non peccasset Adamus, quales sunt Scotus cum phalange, P. Suarez & alij multi. Quia Christus veniret, tamen si non peccaret Adamus: ergo Christus in eo primo signo decretus fuit cum indifferentia ad mortem & immortalitatem. Probo consequentiam, quia mortis fuit capax proximè: siquidem mortuus est: non enim potuisset mori, si decretus fuisset cum aliqua repugnantia ad mortem. Potuit item non mori: quia si Adam non peccaret (vt potuit) ærumnæ non fuissent Christo decreta: ergo decretus fuit Christus absolute cum indifferentia ad mortem, & proximam immortalitatem. Ex auctoribus autem asserentibus Christum non esse venturum nisi Adam peccaret, multi huic sententiæ subscribunt, opinati post absolutam peccati præuisionem decreuisse Deum emendationem ipsius peccati, cum dependentia à voluntate Christi electuri mortem, aut immortalitatem. Ostendam enim, agens de libertate Christi, datam illi optionem à Deo ad vitam passibilem & impassibilem: si eligeret impassibilem, cuncti mortales damnarentur; si verò passibilem, nos per passionem vindicaret à peccato. Christus autem vt homo elegit crucem pro nostra salute. Quam doctrinam latè probabo ex Scripturis, Sanctis, & ratione. Ex qua doctrina sequitur hæc conclusio: quia si in eius potestate fuit pati, & non pati: ergo decretus fuit à Deo indifferens ad passionem & impassibilitatem proximam.

§. 7. Passibilitas potest accipi proximè & remotè: hæc cunctis inest hominibus, etiam beatis: est enim de hominis essentia, quia est vnio pendens ex natura sua ab accidentibus habentibus contrarium, quæ ex natura sua mutuo depugnant ad interuentionem: hinc oriuntur dolores, & cæteri ærumnarum exercitus. Hæc passibilitas radicalis non pendet ab electione libera Christi vt hominis; quia est necessaria humanitati vt sic: impassibilitas proxima est aut qualitas, aut specialis prouidentia

dentia Dei, ita continens nostras qualitates, vt nulla exuberet, neque deficiat, impeditque omnem actionem afferentem dolorem, aut disponentem ad necem: vt contingit corporibus beatis. Christus decretus fuit radicaliter passibilis: at de proxima passibilitate, aut impassibilitate, nihil fuit absolute decretum, sed tantum sub conditione, si peccatum futurum esset: aut, si praeuiso peccato Christus eligeret passionem, ei daretur proxima passibilitas, negando qualitatem aut prouidentiam specialem quibus passiones possent impediri: si vero, aut peccatum non esset, aut si eo praeuiso Christus eligeret impassibilitatem, ei daretur qualitas aut prouidentia singularis, vt impedirentur omnes dolores atque molestiae, qualis est impassibilitas beatorum.

§. 8. Hæc conclusio non aliunde probanda est, quam ex aduentu Christi in carne impassibili, si Adam non peccaret. Hæc necessariò dicenda sunt in sententia Scoti, quam ego censeo esse probabiliorē. In sententia autem S. Thomæ negante aduentum Christi, si Adam non peccaret, probanda est hæc conclusio ex optione data Christo ad vitam proximè impassibilem & passibilem. Hæc spectant ad factum, quod nullo alio ex capite probari potest: id autem fieri potuisse, videtur non egere probatione.

SVBSECTIO II.

Argumenta contra eam sententiam.

§. 9. **C**ontra eam doctrinam inuecti nonnulli, non solum oppugnantes factum, sed potentiam. P. Ragula disp. 28. §. 13. vers. *Ad extremum*, sic argumentatur: Deus ex mente Scripturæ & Patrum decreuit vniõnem cum humana natura secundum ea quæ pertinent ad eius substantiam & speciem: at certè hæc natura secundum speciem est passibilis & mortalis: ergo eam sibi vniuit in carne passibili. Respondeo ex §. 7. hanc naturam secundum substantiam esse remotè passibilem, non proximè: quia eius substantia potest conseruari cum proxima impassibilitate, & passibilitate remota, vt patet in eodem Christo cæterisque beatis.

§. 10. Argumentatur Secundò: Aut Deus voluit humanitatem Christi impassibilem; sic ea non posset pati, siue peccasset, siue non peccasset Adamus: aut voluit illam esse passibilem; sic pateretur etiam Adamo non peccante: aut Deus voluit eam naturam abstractè à passibili & impassibili: hoc autem non potuit esse: ergo. Probo Minorem, quia voluntas Dei non potest ferri in res vniuersè sumptas: multò verò minùs in res quæ per se non abstrahunt ex natura rei, sed solum per operationem mentis: non enim potest ferri in naturam humanam abstractam à conditionibus indiuiduantibus: rursusque longè minùs potest ferri in rem abstractam sine vilo fundamento abstractionis ex parte rei, sed solum ex suppositione extrinseca agentis extrinsecè. quomodo non potest abstrahere compositum materiale à corruptibilitate, neque natura humana à passibilitate per se. neque potest esse fundamentum abstractionis huius: quia non potest ipsis nisi extrinsecus superaddi incorruptibilitas operatione diuina: oportet ergo in proposito ponere totam hanc abstractionem factam in mente diuina absque vilo fundamento in re. Confirmatur quia

illa voluntas nõ fertur in impassibilitatem præter naturalem humanitati, neque fertur in naturalem illi passibilitatem, sed confusissimè sola sua cogitatione ab vtraque abstrahendo: cuius voluntas & intellectus ferrentur ad obiectum vagum.

§. 11. Hæc tam implexa argumentatio non attingit scopum, neque est è re. Cui respõdeo, Deum illo decreto voluisse humanitatem passibilem remotè, in quo nulla fuit abstractio humanitatis ab indiuiduationibus, aliõne conceptu identificato realiter cum illa: sed decreta fuit hæc numero humanitas non solum specie, sed etiam in indiuiduo: de proxima autem passibilitate, aut impassibilitate, pro illo signo rationis nihil est absolute decretum, sed tantum sub conditione, vt dixi §. 5. & 7. hoc autem nec est attingere obiectum abstractum ab alio conceptu identificato cum illo; sed est ex tribus obiectis realiter distinctis & separabilibus realiter amare vnum absolute & determinatè, alia verò duo sub conditione & indeterminatè: id est, amare passibilitatem sub conditione quòd eligatur à Christo, item amare impassibilitatem sub conditione opposita. quod in mille accidentibus sæpè contingit: etenim substantia Incarnationis decreta fuit absolute independentè à meritis, eius autem accidens quòd nasceretur Christus in hoc loco, ex hac matre, & ex hoc genere, dicitur frequentius esse dependentè à meritis, quæ iam supponunt totam substantiam Incarnationis. Ad confirmationem. Illa voluntas fertur in radicalem passibilitatem, in accidentalem autem non fertur absolute, sed sub conditione, neque huic voluntati obijcitur conceptus vagus, sed omnes determinati: nam sub conditione quòd sit peccatum, obijcitur passibilitas determinatè; sub conditione verò quòd non sit peccatum, obijcitur determinatè impassibilitas; quemadmodum ex suppositione perseuerantiæ finalis in gratia, obijcitur certus gradus gloriæ; ex suppositione autem impenitentiae finalis, obijcitur certa pœnarum intensio. Vellem ab his auctoribus explicari, quid voluerit Deus, & qua ratione, quando præcepit sibi offerri par turturum aut pullos columbarum, vtrum Deo obiectus sit aliquis conceptus vagus.

§. 12. Tertio argumentantur alij, in eo casu à Deo non videri in singulari actionem qua Christus pro illo signo rationis obijceretur existens. Respondeo, Deum rectè potuisse videre actionem in singulari: quia voluit obiectum omnino indiuiduum actione substantiali: ad quòd, & non ad aliud, terminatur eius substantialis productio: ad accidentia verò quæ sunt realiter in humanitate, terminantur actiones aliæ accidentariæ. Vtrum verò possit Deus absolute decernere substantiam Incarnationis, & illam pro illo signo rationis videre existentem sine actione absolute existente, sed tantum amata sub conditione, infra disquiram, cum agetur de ordine intentionis & executionis. Nunc autem censeo, potuisse Deum per hanc numero actionem producere humanitatem Christi; eumque sic præuisum velle, vt cum eadem actione traheret originem ex hoc genere, & ex hac muliere.

§. 13. Obijcis Quarto, Christum pro illo signo rationis videri à Deo passibilem aut impassibilem confusè, quod Deo repugnat. Probat, quia Christus futurus est passibilis, aut impassibilis: ergo ita cognoscitur. Respondeo negato antecedente. Ad proba-

S. Thom.
2. 2. art. 3.

probationem respondeo, Christum à parte rei futurum passibilem determinatè, aut determinatè impassibilem: at pro illo priori non consideratur nisi substantia Christi secundum se, cuius accidentia sunt passibilitas & impassibilitas proxima: substantia autem potest concipi præcisa per intellectum ab accidentibus posterioribus, à quibus non pendet à priori. Quod clarè patet in potentia libera, quæ secundum se neque dicit amorem, neque amoris carentiam, sed tantum potestiam ad utrumque: & quamvis à parte rei in toto instanti reali non potest esse nisi cum amore determinatè, aut determinatè cum carentia amoris; tamen prius ratione concipitur secundum suam substantiam, ut est indifferens ad utrumque. Iam ostendi disp. 8. Physicorum in prioritate rationis & naturæ duo includi: alterum est entitas causæ secundum se, alterum cognitio illius entitatis, quæ illam solum contempletur ut existentem, effectum verò non contempletur ut existentem. Ita hoc signum rationis includit ex parte obiecti solum substantiam Christi ut existentem, non verò proximam passibilitatem, aut impassibilitatem: ex parte verò Dei includit cognitionem intuitivam de illa substantia sola, non verò de passibilitate, aut impassibilitate, quas ut existentes non contempletur Deus illa cognitione. Quod negari non potest in alijs accidentibus: homo enim non potest existere sine cruciatibus gehennæ, aut sine illorum carentia; & tamen Deus prius ratione contempletur hominem ut existentem quam cum aliquo ex illis accidentibus. idem dico de vocatione Romæ aut Hierosolymis. At verò in secundo signo rationis contempletur Deus conditionem, quam expectat à Christo: qui si eligit vitam passibilem, ponit conditionem propter quam Deus decerneret efficaciter proximam passibilitatem; quæ iam decreta videtur à Deo intuitivè, & constituit tertium signum rationis. Si verò Christus eligit vitam impassibilem, continget omnino idem. Ex quibus liquidò constat, Deum nihil confusè amare aut cognoscere. Rationem à priori huius doctrinæ indicavi, quia substantia potest decerni prius ratione, quam accidentia à quibus non pendet.

§. 14. Inde deduces, Deum scientia simplicis intelligentiæ cognoscere pro illo priori Christum necessariò existurum cum altera parte contradictionis, nempe passibilitate aut impassibilitate. item cognoscit, utriusque esse capacem humanitatem Christi, passibilitatis quidem naturaliter; impassibilitatis autem obediencialiter. scientia autem media cognoscit Christum fore passibilem determinatè, si peccaret Adamus, & Christus eligeret vitam passibilem: eadem autem scientiâ cognoscit Christum fore impassibilem, si opposita conditio admittatur. Scientia autem absoluta in illo primo signo rationis, non concipitur Deus ut videns passibilitatem existentem, neque impassibilitatem, neque determinatè, neque confusè. Quia illud signum rationis constituitur ex sola substantia humanitatis Christi, ut dixi §. superiori. At verò positâ iam conditione à qua dependet passibilitas, Deus illam decernit absolute alio actu ratione nostra distincto à priori, qui est posterior ratione nostra quam primum illud decretum terminatum ad substantiam Christi. Postquam autem Deus voluit efficaciter passibilitatem, illam videt ut existentem determinatè. Fundamentum harum rerum ex parte ob-

iecti nihil est præter substantiam Incarnationis independentem ab illis accidentibus, & accidentia illa dependentia ab ea substantia: ex parte verò Dei est voluntas efficax producendi substantiam illam independentem à meritis; item voluntatem efficacem producendi passibilitatem (ut ita dicam) dependentem à meritis ipsius Christi. Deus enim vno actu simplici efficit quod nos pluribus: ut ergo nos possumus tribus actibus velle donare militi equum & arma, independenter ab eius strenua pugna, & alio actu conditionato volumus eidem dare coronam si rectè pugnaverit; aut supplicium, si ignavè: viso autem illius certamine volumus actu efficaci absolute eam donare corona: ita Deus tribus actibus ratione distinctis potest efficere cum Christo ea, quæ diximus.

§. 15. Tandem Deus volens substantiam Christi, non vult virtualiter, confusè passibilitatem aut impassibilitatem: sed decretum illud de substantia, item & aliud decretum conditionatum continens quasi virtualiter decretum aliud absolute & efficax de impassibilitate Christi, si ponatur conditio quam Deus expectat. Idem dico de passibilitate, si opposita ponatur conditio. Et quamvis Christus in toto instanti reali non potest existere sine altera parte contradictionis, neque Deus potest illum velle relinquere sine illa, & in toto instanti reali est necessariò habiturus voluntatem de altera, aut de altera; tamen, actibus præcisiuis concipitur à nobis prius velle vnum quam aliud: quia vnum est prius natura independens ab actibus Christi; aliud verò est posterius natura separabile realiter à Christo, & ab eius voluntate dependens. Solent aduersarij efformare hoc argumentum: *Christus non potest à parte rei esse sine passibilitate aut impassibilitate: ergo non potest amari efficaciter à Deo sine altera ex illis; quid non potest amari efficaciter nisi ut potest existere.* Quod argumentum est malum; cuius consequens distinguitur. non potest toto decreto adæquato versante circa Christum amari Christus ipse, quin ametur altera pars contradictionis, concedo consequentiam: quin ametur decreto inadæquato, nego consequentiam. Aliud enim est amari Christum, quin realiter ametur altera pars contradictionis in accidentibus, aliud autem amari vno actu quin eodem ametur altera pars accidentis. Primum esse non potest, quia significat in Deo realem carentiam amoris circa ea accidentia: secundum verò potest esse, quia tantum significat præcisionem amoris circa accidentia, quæ præcisa est in primo decreto. quòd si esset realiter distinctum à cæteris actibus, ut est in nobis, non attingeret realiter ea accidentia, sed esset opus alio actu realiter distincto, ut est in nobis.

S E C T I O III.

Deus illo primo decreto voluit substantiam Christi propter nos, & in emendationem peccati.

S V B S E C T I O I.

Sententia proposita.

§. 16. **D**ico Secundò. Deus illo primo decreto voluit Christum propter nos, & propter nostram

nostram salutem: item & in emendationem peccati. Hæc sententia explicabitur à §. 292. est que S. Thomæ art. 3. & eius discipulorum: quem sequuntur plures ex nostris: P. Valentia disp. 1. q. 1. puncto 7. versu Itaque de questione. P. Valquez & R. Suarez in eum articulum. P. Molina 1. p. q. 23. art. 5. disp. 1. memb. 7. maxime 8. vers. Secundus quando. P. Ragusa disp. 28. §. 9. & alij. Est tamen hoc discrimen, quòd P. Suarez ponit amatam substantiam Incarnationis, vno decreto adæquato propter ipsam, alio verò etiam adæquato propter nos; cæteri verò vnum admittunt decretum solum, illudque post præiudicium peccati ad illud emendandum.

§. 17. Quæ sententia tam clarè colligitur ex Scripturis & Sanctis, vt iudicem eam nõ posse tutò negari. Primum enim Scripturæ eam sonant aperte: Ioan. 3. 16. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam: non enim misit Deus filium suum vt iudicet mundum, sed vt saluet mundum per ipsum. Quibus ostendit Christus se hominem factum vt nos saluos faceret, & emendaret à peccatis.

§. 18. Respondet Scotus in 3. dist. 7. q. 3. vers. Sed hic sunt duo dubia. omnes auctoritates exponi posse Christum venisse in carne passibili, & redemptionem ex motiui nostre salutis: at verò eum venturum fore deficiente peccato; quia substantia Christi decreta fuit independentè à præiudicio peccati. Hæc solutio est bipartita. Prima pars affirmat Verbum futurum hominem tamen nullum foret peccatum: quæ doctrina nullum habet periculum Theologicum. Secunda pars asserit substantiam Christi fuisse decretam independentè ab emendatione peccati. De qua doctrina non audeo idem dicere quod de prima, quam sic impugno: Christus missus fuit in emendationem peccatorum: ergo substantia Christi vt hominis decreta fuit in eum finem. Antecedens est ipsius Christi. Consequentiam probo, quia missio Christi significat substantiam Incarnationis: sed missio facta est in emendationem peccati, ergo & substantia Incarnationis. Maior propositio est S. Augustini, tom. 6. lib. contra serm. Arianorum, ali quanto post initium, his verbis: *Eo ipso à Patre missus Filius esse dicitur, quòd Filius hominibus apparuit in carne, non Pater.* Secundò, probatur ex prima ad Timot. 1. 15. *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quòd Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere.* Scotus autem non vult Christum missum absolutè, nec absolutè venisse vt saluos faceret peccatores.

§. 19. Vt autem hæc Scotica opinio eradicetur, recognosce c. 4. ad Galat. 4. *Misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret.* vbi constituit finem missionis Christianæ natiuitatis ex muliere, & sub lege, redemptionem hominum à peccato. Quod confirmat Ecclesia in oratione Dominicæ Palmarum: *Qui humano generi, ad imitandum humilitatis exemplum, Saluatorem nostrum carnem sumere, & crucem subire fecisti.* Quæ verba sũnt clarissima ad significandum duo effecta à Deo, vt imitemur humilitatis exemplum, alterum est carnis assumptio, alterum passio crucis; vt significetur tam substantiam Incarnationis quam accidens proximæ passibilitatis, directa à Deo ad imitandam humilitatem Christi. Substantia significatur his verbis, *carnem sumere*: passibilitas autem illis, *crucem subire.* quibus non so-

Pet. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

lùm significatur suffixio in cruce, sed omnes actiones passibiles, ob quas dixit Christus, *Discede à me q. 1. art. 3. quia mitis sum & humilis corde.* Assonat Concil. Nicen. in suo Symbolo: *Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cælis, & incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria virgine, & homo factus est.* Vbi substantiam Incarnationis factam definit Ecclesia ex fine nostre salutis: quod enim in oratione Palmarum dicit *carnem sumere*, dicit Nicen. *Descendit de cælis, & incarnatus est, & homo factus est.* Quibus verbis opponitur Scotus aperte dum dicit, *Non est factus homo pro nobis, neque propter nostram salutem descendit de cælis, sed solum propter excellentiam mysterij, & gloriam Dei inde captam.* Deinde subiicit Nicenum: *Crucifixus etiam pro nobis.* Illa coniunctio etiam, coniungit finem crucifixionis cum fine descensus de cælis, Incarnationis & effectiois hominis. Vnde miror ab aliquo auctore Catholico affirmari, Deum non fuisse factum hominem propter nostram salutem. P. Suarez prudentissimi consilij vir, vt declinaret hostictus, constituit duo decreta adæquata circa substantiam Incarnationis: alterum propter nostram salutem, alterum propter alios fines. quem hac in parte prudenter imitati sunt Scotici homnulli: quos ego audiui in publicis disputationibus.

§. 20. Vrgeo argumentum: in sententia Scoti substantia Incarnationis non habuit pro fine salutem nostram, sed potius finis nostre salutis fuit Christus ipse: quia in sententia Scoti dedecet Christum fieri ex fine creaturarum: sed ait primo significationis factum Christum propter eius excellentiam; tertio vel quarto datam illi passibilitatem in remedium peccati: sic argumentor: Ergo non descendit Deus de cælis, neque factus est homo, nec est incarnatus propter nos homines, & propter nostram salutem. Probo consequentiã, quia Deus factus est homo per actum illum ratione nostra primum, quo decreta est Incarnationis substantia: per quem incarnatus est, factus est homo, venit in hunc mundum, & est missus à Patre: sed per te ille primus actus non habuit pro motiui nos homines, nec nostram salutem. qui actus si in Deo esset realiter distinctus ab actu de passibilitate Christi in remediũ peccati, vt in nobis distinguuntur actus, certè haberet realem carentiam attingendi nos, vt motiui Incarnationis: nunc autem propter realem identitatem cum actu de passibilitate, materialiter attingit nos vt motiui; non autem formaliter, vt concipitur pro illo primo signo rationis: fuitque indifferens vt separaretur realiter ab actu de passibilitate, non quoad entitatem (quæ est eadem in vtroque) sed quoad denominationem: ergo Deus non est factus homo, nec incarnatus est, neque descendit de cælis, nec est missus à Patre, neque venit in hunc mundum propter nos homines & propter nostram salutem. Quæ consequentia est euidentis; consequens autem est contra articulum Symboli, contra Paulum, & contra Ioan. Confirmatur. voluntas de passibilitate non est voluntas de substantia Incarnationis, sed potius eam supponit non propter nostram salutem.

§. 21. Ab eadem sententia stant pede fixo omnes Ecclesiæ Patres. S. August. tom. 10. de Verbis Apost. serm. 8. to. 9. tract. 36. in Ioan. & to. 4. lib. de Catechizan. rudib. c. 4. & tom. 1. lib. de Vera religione c. 16. & to. 10. serm. 9. de Verbis Apost. cuius

M verba

S. Thom.
q. 1. art. 3.

verba inferiùs sunt referenda, sicut & aliorum Patrum. Interim audi Basil. homil. 25. de humana Christi generatione, his verbis: *Carnem suscepit Deus, quoniam execrabilem contaminat. unq. hanc, purgatam sanctamq. reddi oportuit; infirmam ac debilem corroborari; à Deo ob peccatum alienatam conciliari, & paradiso excidentem in calum referri.* S. Cyrillus li. 4. in Italam orat. 4. vers. *Et ego dixi, ait: Apparuit enim vniuersorum seruator, vt totum orbem terrarum à morte & peccato liberaret, & sanctis charismatis illustraret eos qui per fidem ad ipsum accedunt.* Lib. 5. Theaur. c. 8. ait: *Sciebat enim mortales nos futuros propter peccatum, ac ideo ex misericordia sua ante secula constituit, vt Verbum suum homo, & initium viarum & fundamentum foret, renouaretq. hominem in se ipso factus primogenitus.* Fine verò ait: *Eodem modo creator noster Christum nostra salutis fundamentum, etiam ante initium fundauit, vt, si prauaricatione caderemus, in ipso rursus renouaremur.* Et quidem omnes Sancti, insinuantes Deum non futurum hominem, nisi Adam peccasset, & cõstituentes nostram salutem finem Incarnationis, sunt aperte ab hac sententia. Ob quod P. Maldonatus in Ioan. 3. 16. dixit hoc esse dogma fidei. Cui consentit P. Pereira in eum locum disp. 13. Cardin. Toletus in Comment. ait, finem Incarnationis esse nostram salutem, quod priùs dixerat Glossa interlinearia in eum locum.

S V B S E C T I O II.

Rationes aliquorum.

§. 22. **P.** Ragusa disp. 28. §. 16. existimat Verbum non solum factum hominem propter nos, verum neque aliter fieri potuisse: quia Incarnatio suapte natura petit aliquam necessitatem & occasionem vt fiat, quæ maximè est peccati expiatio, à cuius existentia suppositione dependet: similiter decretum de Incarnatione pender à necessitate ex suppositione peccati: ergo non potest fieri propter excellentiam mysterij, & alios fines extrinsecos independentes, ab expiatione peccati.

§. 23. Probationi antecedentis præmittit Primùm, ea quæ immediatè neque respiciunt Deum, neque in eum referuntur, non posse à Deo immediatè institui ea intentione qua se vult communicare creaturis ad sui ipsius gloriam. quod probat, quia Deus res ordinat ad se quantum ordinabiles sunt: ergo quæ non sunt ordinabiles immediatè ad Deum, non possunt ad illum immediatè referri vt materia & quantitas.

§. 24. Secundò præmittit, ea quæ immediatè & per se non respiciunt aliquem finem, dupliciter posse ad illum referri. Primùm, per alium finem immediatum, quem res illæ respiciunt per se: sicut materia respicit gloriam Dei mediatis speciebus corporum compositorum, forma item mediante composito. Secundò, respiciunt finem mediante alio fine quem tales res non respiciunt per se immediatè, sed per solam voluntatem agentis per intellectum, vt ligna & lapides non respiciunt domum per se, sed per intentionem architecti, & planta curationem per mixtionem pharmaci.

§. 25. His positus probat antecedens ex §. 22. de dependentia Incarnationis à peccato: quia seclusa intentione agentis disponentis Incarnationem, natura intellectualis in suo supposito respicit Deum

vt finem per se immediatum: sicut quælibet natura irrationalis in suo supposito respicit hominem, vt finem propter quem est creata: ex alia parte suppositum diuinum respicit per se naturam diuinam, non verò creatam in ratione suppositi illam terminantis; humana verò natura habet ex natura sua suum proprium suppositum: ergo humana natura habet suppositum diuinum ex intentione agentis extrinsecus: ergo quod vniantur Verbum & humanitas, non habent ex ea intentione qua velit Deus ordinare opera sua, id est, naturam intellectualem in se, sed ex aliquo alio fine. quoties enim ordo aliquis non est in rebus, sed ex intentione agentis, oportet haberi ex aliquo fine extrinsecos, sicut habetur mixtio plantarum à conficiente pharmacum.

§. 26. Ex his habetur Primùm, hunc finem immediatum non esse excellentiam mysterij, neque Deum ipsam: quia Deus nihil facit excellens præter ordinem & naturam rerum ex intentione ordinaria communicandi suam bonitatem, sed ex extraordinaria habente finem extraordinarium. Secundò, habetur non esse alium finem, nisi dependentem ab occasione peccati. Probatur, quia si quis esset, esset maximè exaltatio naturæ ad ordinem supernaturalem; sed certè natura humana nihil poscit in supposito diuino, sed in suo. Item, exaltatio in supposito diuinum non poscitur à natura humana: ergo hæc exaltatio non potest esse finis immediatus.

S V B S E C T I O III.

Impugnantur.

§. 27. **H**æc argumenta diriguntur ad probandam dependentiam Incarnationis à peccati præuisione in statu absoluto: sed neque id, nec quidquam aliud probant. Primùm do antecedens ex §. 22. exigi ab Incarnatione aliquem finem extrinsecum distinctum ab excellentia mysterij, & à gloria immediata ipsius Dei. Hic finis potest esse distinctus à redemptione à peccato, vt existente: ergo Incarnatio non pender ab existentia peccati. Probo Minorem, quia potuit Deus velle hoc mysterium ad prædestinandos homines, tenendos ne peccent, & confirmandos in gratia; sicut per te ad redimendos: qui finis est extrinsecus, excellens, extraordinarius, & tam bonus quàm redemptio à peccato. commeat igitur tam longis ambagibus nondum itur ad necessitatem peccati.

§. 28. Secundò explico finem illum de præseruatione à peccatis, si opus est ad peragendam Incarnationem occasio aliqua ex peccato. Potest hæc esse duplex: altera in statu absoluto peccati, altera in statu quem Deus decernit constituere à parte rei: in quo statu nisi Deus hominibus conferat specialem gratiam supernaturalem, labentur in multa peccata: vt nobis contingeret in hoc nostro statu nisi nos donaret tanta gratia per Christum: est ergo hic status conditionatus peccato. quod, nisi per Christum redimeremur, esset finale & sine penitentia in omnibus. Dico Incarnationem non pendere ab statu absoluto peccati, sed sufficere conditionatum statum: Deus autem potuit velle Incarnationem, vt nos per merita Christi eriperet ab imminentibus peccatis. Quod quidem in multorum

torum sententia, efficit cum sua matre, quam præseruauit à peccato originali, in quod laboretur, nisi gratia per Christum manum illi porrigeret ante lapsum. Secundò, idem efficit cum omnibus prædestinatis, quos gratia per Christum reuocat ab impenitentia finali: cur non potuit Deus idem operari mysterium, vt omnes homines eriperet ab omni peccato mortali ne in illud caderent? Igitur mysterium Incarnationis, quamuis pendeat ab extrinseca occasione peccati, non pendet à peccato vt iam existente.

§.29. Tertio, ex voluntate generali, qua Deus vult omnia opera in sui gloriam, potuit Incarnationem velle ad ostensionem eiusdem gloriae, sicut eandem gloriam potuit velle per remissionem peccati iam existentis. Probat, quia Incarnatio in ratione obiecti potest habere connexionem cum gloria Dei independentem à peccato: ergo potuit amari ex illa voluntate generali, qua Deus amat vniuersa. Consequentia probatur, quia Deus gloriam suam non querit ex occasione peccati, nisi quia, vt obiectum, possunt remissio peccati & alia id genus cognosci ab angelis & hominibus, & referri in Deum. Antecedens probatur, quia Incarnatio cognita ab angelis & hominibus per actus supernaturales, efficit in ratione obiecti, vt cognoscantur omnia attributa diuina, quæ in eo mysterio collucet, in quo fecit Deus potentiam in brachio suo: cognoscunt magnitudinem Dei, eum que fatentur plura posse quam nos mente concipimus. Ad quod in ratione obiecti nullus est tam aptus effectus: ergo non fuit opus expectare occasionem peccati.

§.30. Quarto, quod dicitur §.23. non posse referri immediatè in Deum, quæ ipsum non respiciunt immediatè. In Deum possunt creaturæ referri Primo, relatione reali prædicamentali: Secundò, relatione reali transcendentali: Tertio, relatione extrinseca intentionali per actum voluntatis, quo creatura amatur propter Deum charitate Theologica, vel religione propter cultum, aliaue virtute, aliquo modo attingente Deum vt obiectum amatum, vel, vt terminum extrinsecum. Primo & secundo modo omnes creaturæ referuntur immediatè in Deum, (non disputo nunc de peccato) quia omnis creatura est effectus à Deo immediatè productus; ob quod referuntur immediatè ad Deum relatione effectus ad causam. Secundo modo referuntur etiam ad Deum omnes creaturæ, quia omnes illæ essent impossibiles per locum intrinsecum nisi Deus esset, in quo constitui non semel relationem transcendentalem: igitur si controuersia est de his generibus relationum, omnis creatura potest amari propter gloriam Dei, & propriam excellentiam: quia immediatè referuntur ad Deum omnis creatura. Si verò agitur de tertia relatione, omnis item creatura potest referri immediatè ad Deum: quia omnis illa potest amari charitate Theologica propter Deum prius amatum. si enim possumus nos diligere pueros homines propter Deum dilectum prius, cur non poterimus diligere Christum vt hominem? aut cur Deus ex amore sui non potuit diligere Christum, & efficere vnionem hypostaticam, sicut nos & vult & producit? Probauit vol. 2. disp. 121. à §.63. Deum amare omnia propter se ipsum immediatè, item & propter ipsa: propter se ipsum quidem, quia ex amore sui potuit producere

Pet. Hurtado de Mendoza. de Incarn. pars 1.

hæc sua bona extrinseca; propter ipsa verò amat. *s. Thom. 2. 2. q. 1. art. 2.* solas naturas intellectuales, quia per se sunt aptæ ad terminandum amorem amicitiae Dei. igitur cum hoc mysterium sit optimum inter omnia bona extrinseca Dei, item Christus vt homo sit magis amabilis quam ceteræ creaturæ; cur non potuit à Deo amari immediatè sicut amantur angeli? Vnde ad argumentum respondetur, Christum esse ex natura sua referibilem intentionaliter ad gloriam Dei independentem à peccato: vnde non potest referri magis quam est referibilis: quia est referibilis vt homo ad Deum prædicamentaliter, transcendentaliter, & intentionaliter. Quæ non sunt referibilia physice, non possunt physice referri, at possunt referri intentionaliter: sicut cibus non refertur ex natura sua ad animam, potest tamen referri intentionaliter.

§.31. Quæ dicuntur §.24. egent longo examine: forma enim rationalis respicit Deum immediatè, quin mediet compositum: primum, respectu prædicamentali & transcendentali: quia etiam vt separata, retinet has relationes item respicit Deum vt obiectum, & intentionaliter, quia potest cognosci & amari propter Deum etiam vt separata. item etiam vt separata potest actibus naturalibus cognoscere & amare Deum: item visione beata & amore potest cum Deo immediatè coniungi. igitur non coniungitur Deo medio composito, sed potius compositum media anima coniungitur Deo: quia ratione animæ totus homo dicitur videre Deum. Formæ autem irrationales habent quidem ratione sui immediatam relationem transcendentalem & prædicamentalem ad Deum; in ratione autem obiecti possunt etiam ratione sui ad Deum intentionaliter referri ab angelo & anima separata; ipsæ autem neque per se, neque in composito non attingunt immediatè Deum, quia eum non possunt cognoscere. item irrationalia non referuntur ad nos ex natura sua, sed ex extrinseca voluntate Dei. Arietes enim & boues quid referuntur ad me ex natura sua potius quam inuicem? Hinc patet in toto illo §.24. nihil probari contra huius mysterij independentiam à peccato.

§.32. Nec capio quo pacto, homo in supposito naturali respiciat immediatè Deum, non verò in diuino. Difficultas est, quia humanitas Christi est immediatè & physice coniuncta Deo, quo caret in supposito creato: ergo humanitas magis respicit Deum in supposito diuino, quam in proprio. Item in Christo petit visionem beatam, mutuam benevolentiam cum Deo multò magis quam in supposito naturali. Tertio, vnio hypostatica est relatio transcendentalis humanitatis ad Verbum: quia illam constituit formaliter vnitam. Igitur vt Deus amet humanitatem propter suam gloriam, & eius excellentiam, non indiget occasione extrinseca, sed satis est illius immediata cum Deo coniunctio. Ergo, sicut potuit velle Mariam cum gloria, potuit etiam & Christum velle.

§.33. Dicent: Anima Christi non petit ex natura sua vnionem. Contra: Neque Maria petit lumen gloriæ, & tamen eo dato petit visionem: ergo & datà vnione petuntur cetera dona. & quamuis humanitas non petit vnionem, vnio tamen petit humanitatem: ergo ratione huius petitionis potest Deus velle hoc mysterium propter suam gloriam, & eius excellentiam. Quarto, Deus potest multa

M 2 velle

S. Thom.
q. 1. art. 3.

velle ad ostendendam suam gloriam, quamuis non petantur ab humanitate.

§. 34. Tandem explico quæ dixi de vnione vnio & persona Christi vt est persona humana, petunt humanitatem ad compositionem personæ Christi, vt est humana: ergo persona Christi vt humana; est per se amabilis ex illa intentione vniuersali Dei manifestandi suam gloriam, multo magis quàm puræ creaturæ: ergo vt fiat persona Christi vt est humana, non est opus alio sine extrinseco.

§. 35. Obijcis: Vnio petit humanitatem: hoc autem non sufficit, quia vnio amatur vt *quo*: vt autem aliquid fiat independenter à fine extrinseco, opus est vt terminus amatus vt *quod*, petat illum modum amoris. Contrà: Persona Christi vt diuina & humana amatur vt *quod*: vt enim persona est principium operationis vt *quod*, ita est obiectum amoris vt *quod*: persona autem vt humana petit vt *quod* tam humanitatem quàm hypostaticam vnionem. Quod argumētum est euidenter ad hominem.

SVBSECTIO IV.

Ratio à priori.

§. 36. Incarnationem factam à Deo propter nos homines & propter nostram salutem, probatur à priori ex voluntate Dei: qui potuit Incarnationem amare independenter à nostro bono vt fine, vel dependenter: cum autem Deus posset vtrumque facere, elegit Incarnationem propter nos. Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vniuersum daret. Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, &c. Denique propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de caelis, & incarnatus est. Crucifixus etiam pro nobis. Quæ in Scripturis sunt satis aperta.

SVBSECTIO V.

Ad argumenta.

§. 37. Potest obijci: Deus non potuit velle Christum propter nos, sed potius nos propter Christum, qui vt homo, optimus est inter omnia creata. Respondeo, posse esse sermonem de Christo absolute, vt est integra persona humana, vel de humanitate sola & vnione hypostatica. Nonnulli recusant Christum etiam vt hominem factum propter nos vt propter finem: quia Christus est Deus, qui non potest referri ad creaturam tamquam ad finem: humanitatem autem & vnionem fatentur factas propter nos. Respondeo questionem esse de voce, quia de omnibus rebus quas attingit quæstio, constat inter omnes Catholicos, non video absurdum, Christum vt hominem esse propter nos, tamquam propter finem *qui*, siue cuius gratia: sicut non est absurdum, Christum vt hominem esse mortuum & Patre minorem. Hæc autem controuersia non est nobis in præsentem necessaria: quia satis est Incarnationem factam propter nos homines: quia cum Deus posset eam velle & nolle, ita potuit eam velle propter nos, vt propter finem immediatum relatum ad gloriam ipsius Dei, qui est vltimus finis omnium creaturarum. Ipse autem Christus etiam vt homo, est finis *cui* nostræ salutis,

quæ directæ est in exaltationem nominis Iesu. Recognosce disp. 7. sect. 6.

§. 38. Obijcis Secundò: Deus voluit hoc mysterium propter eius excellentiam: ergo non propter nos. Respondeo, concessio antecedenti negari consequentiam: Deus enim potest vno actu indiuisibili amare creaturam propter se ipsum, & propter ipsam: & quemadmodum eam refert ad seipsum eodem actu quo illam amat propter ipsam, potest eodem actu vniam amare propter aliam. quæ cognosces volum. 2. disp. 121. vbi probaui nullam creaturam amari à Deo, nisi propter se ipsum, cum quo componitur vt ametur propter ipsam. Itaque decreto de Incarnatione tria formalia obiecta præfigo: primum, est Deus ipse; secundum, excellentia ipsius mysterij; tertium, nostra prædestinatio, & redemptio. Adde quartum, exaltationem nominis Christi pet nostram prædestinationem.

§. 39. Obijcis Tertio: Ergo Christus non est amatus propter se, sed propter nos, quia redemptio est finis Incarnationis: Incarnatio autem non est finis redemptionis. Nego consequentiam: quia quamuis substantia Christi vt hominis, siue substantia Incarnationis & humanitatis Christi, non est finis *qui* redemptionis nostræ: quia substantia vnionis non acquiritur per prædestinationem nostram, sed potius prædestinatio per Incarnationem; tamen substantia Incarnationis est amata propter ipsam, quod satis est ad rationem finis, vt ostendi volum. 2. ea disp. 121.

§. 40. Obijcis Quarto: Ergo Christus non est finis nostri: quod est contra Tridentinum sess. 6. cap. 7. Nego consequentiam: quia cum Christus sit absolute Deus, non potest dici non esse finis nostri, sicut non potest dici, non est Deus. Item, Christus vt homo est finis *cui* nostræ salutis, quæ amata est à Deo, propter exaltationem & gloriam Iesu: ille autem in cuius gloriam aliquid fit, est absolute finis eius rei: quia est finis *cui*, eius autem gloria est finis *qui*, siue cuius gratia. Igitur sunt illa quatuor obiecta recensita §. 38. & sine mutua causalitate. Quia substantia Christi est propter nostram salutem, vt propter finem *qui* est ea comparandus: à qua prædestinatione substantia Incarnationis non pendet in alio genere causæ: vnde salus non est propter substantiam Incarnationis vt finem *qui*, sed propter exaltationem Christi: exaltatio autem Christi non est propter nostram salutem, quod bene obseruauerunt Capreolus & Ferrara adducendi §. 51. & P. Molina adductus §. 16.

§. 41. Rogas, cur dixerint Patres, causam vniam Incarnationis esse nostram salutem, cum sint tam multa obiecta formalia? Respondeo, vix ab vilo Patrum id assertum: nullus enim excludit gloriam Dei, nec excellentiam mysterij: si quis autem id insinuauit, significat nullum esse finem diuisum ab Incarnatione, sed potius omnes cum illa connexos.

§. 42. Lorca disp. 10. num. 23. & 24. videtur huic doctrinæ aduersari: quia finis nostræ prædestinationis ponitur à Concilio, esse gloria Christi: ergo Christus & eius gloria priores sunt prædestinatione. Nego consequentiam, quod attinet ad gloriam Christi, vt dicam §. 328. quia eodem actu indiuisibili etiam ratione nostra Deus voluit illa quatuor obiecta, Christi substantiam efficaciter; nostram salutem, & Christi gloriam sub conditione; vt dicam

cam

cam §. 37. Immeritò autem negat Lorca distinctionem inter Christum quoad substantiam, & eius gloriam: non enim solum distinguuntur in re (quod Lorca non negat) sed etiam in causalitate: quia substantia Incarnationis potest comparari per media distincta ab ijs, per quæ potest comparari gloria; quia substantiam Incarnationis non meruit Christus, meruit autem exaltationem nominis, & corporis gloriam: ita potuit esse diuersus finis substantiæ Incarnationis, & exaltationis Christi.

§. 43. Scotus autem arguit: Christus non est bonum occasionatum, sed expetibile per se: ergo non est propter nostrâ salutem. Hoc argumentum non est contra hanc conclusionem, sed contra sententiam constituentem Christum dependentem à peccato absolute præuiso. sed neque contra illam aliquid probat: quia Christus non est bonum occasionatum per se, sed per accidens, potestque propter se amari, & propter aliud.

§. 44. Quod alij dicunt, Christum multum debiturum peccatoribus, est falsum: quia peccatores suis meritis non traxerunt Christum, sed potius quantum est ex parte ipsorum, tenerent manus Dei ne illum mitteret. Verum est posse dici Christo, *Non abhorres peccatores, sine quibus numquam fores, &c.* quod intelligendum est non de positiuo amore in peccato, sed de gratiarum actione, quia Deus tantum bonum eruit ex tanto malo, vt dixit Ecclesia: *O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem!* Cum verè nulla culpa sit felix, neque mereatur nisi supplicia. Quæ obserua in defensionem opinionis S. Thomæ proponenda à §. 46.

SECTIO IV.

Verùm substantia Incarnationis fuerit decreta à Deo antequam peccatum prævideretur existere in statu absoluto?

§. 45. **H**Æc quæstio est molestissima, propter infinitudinem & obscuritatem opinionum. Pono aliunde in actibus diuinis concipi à nobis rationem prioris & posterioris, propter obiecta ipsa quæ amantur, vel propter modum amandi. Quando propositiones causales sunt veræ, tunc causa est prior ratione nostra: non quòd sit verè causa: in Deo enim nihil pender à causa. Dicitur autem causa improptiè accepta pro ratione, vt, *Ideo Deus videt rem existere, quia illam voluit.* non è contra: *Ideo voluit, quia vidit.* Ad quas propositiones non est opus pluribus formalitatibus obiectiuis, quia in vna sola potest noster intellectus hæc ita concipere: vt ostendi vol. 1. disp. 6. Metaphys. sect. 4. Singillatim præcipuas sententias exponam.

SVBSECTIO I.

Opinio S. Thomæ.

§. 46. **C**ONuenit inter S. Thomæ discipulos, Verbum non futurum hominem, nisi peccasset Adamus: de quo lect. 13. At verò non conuenit, verùm substantia Incarnationis fuerit decreta ante vel post præuisum peccatum: Lorca, & Pet. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

alij torquentes frequenter verba S. Thom. in finistros sensus, opinantur ab eo censeri substantiam Incarnationis decretam in intentione prius ratione quàm peccatum fuerit permissum & præuisum: nihilominus Deum non futurum hominem nisi peccasset Adamus.

§. 47. Mouentur Primum ex 4. Sentent. dist. 48. q. 2. art. 2. melius eum adducerent art. 1. ad quem se rejicit illo art. 2. sicut in additionibus tertiæ partis q. 91. art. 1. quæ allegatur à Lorca art. 2. quæ in 3. p. traiecta est ex 4. Sentent. dist. 48. At certè S. Thomas ibi non dicit, nisi corporalia facta dupliciter propter hominem: Primum, propter vitæ sustentationem: Secundò, propter Dei cognitionem: at verò, hæc facta propter prædestinatos formaliter, aut propter Christum, ibi minimè dicit: facta enim fuerunt etiam propter reprobos, vt alerentur Deumque cognoscerent. Hinc autem quare colligunt sensisse S. Thom. mundum factum propter Christum, & hunc in intentione esse priorem toto mundo? ò quàm frequenter sic allegatur!

§. 48. Verosimilius afferri potest ex q. 5. de potentia art. 5. vbi concludit numerum electorum esse finem motus cælestis, qui tamdiu durabit, quamdiu sit necessarius ad eum numerum. Respondeo, nihil euinci: omnes fatemur motum cæli esse ad numerum electorum; item & omnium hominum quos Deus creare decreuit: factum est ergo cælum ex prouidentia generali omnes homines beandi, qui existere non possunt sine motu cæli. At prædestinationem & prouidentiam specialem ceptam ratione nostra ante præuisum peccatum, non dixit S. Thom.

§. 49. Allegatur præterea 4. contra Gent. cap. 97. vbi asserit omnia corporalia quodammodo facta propter hominem. Quid inde? S. Thomas se allegat lib. 3. cap. 81. vbi agit clarè de prouidentia generali Dei dirigentis omnia corporalia ad hominum commoda: igitur S. Thomas non constituit mundum productum propter Christum, neque ex speciali in electos prouidentia, sed ex generali.

§. 50. Mouentur ex hoc art. 3. ad 4. vbi S. Thom. asserit aliquorum salutem prædestinatam vt impleatur per orationem Sanctorum, & Incarnationem in remedium peccati. Respondeo, ab opposita sententia esse S. Thomam: quia executionem aliquarum rerum pertinentium ad Incarnationem comparat prædestinationi ipsius Incarnationis: neque verò dixit, *impletionem Incarnationis*, sicut dixit de prædestinatis: dixit autem, *prædestinationem Incarnationis*, quia dependet à præuiso peccato. Sic exponitur à Caiet. vers. *Ad secundum verò.*

§. 51. Est igitur opinio S. Thomæ, primum decretum efficax de substantia Incarnationis fuisse post absolute præuisum peccatum. quod clarè colligitur ex toto hoc articulo, maxime autem ad 2. vbi asserit Incarnationem fuisse effectum remedij peccati. Quærens enim, quo pacto Adamus sciuerit mysterium Incarnationis, quin sciuerit peccatum futurum? responder, posse cognosci effectum quin causa. In hunc sensum Thomam acceperunt veteres Thomistæ; Caiet. in hunc art. versu *Vnde ad singula*, verbis apertis, apertioribus autem versu sequi. Capreol. in 3. dist. 1. q. 1. art. 3. ad 2. Scoti, ait expressè finem Incarnationis fuisse remedium pecca-

S. Thom.
q. 1. a. 3.

ti, finem autem eius remedij esse gloriam Christi: Ferrara 4. Contra Gentes cap. 55. vers. *Sidicatur quòd saltem.* & sequi. constituit prævisionem peccati ratione priorem prædestinatione animæ Christi: quod etiam dixerat Capreolus adductus hoc §. ad 1. Consentit Archiepiscopus Alvarez disp. 9. n. 10. & 19. Est igitur hæc ipsissima sententia S. Thomæ, quam docuit Bonaventura in 3. dist. 1. art. 2. q. 2. & antiqui plerique: ex recentibus P. Valentia adductus §. 16. P. Vasquez disp. 10. P. Ragusa disp. 28. §. 9. & 16. imò & P. Suarez constituit aliquod decretum efficax adæquatum, terminatum ad substantiam Incarnationis posterius ratione quàm peccatum, & eius prævisionem. Quæ sententia communior est quàm Scotica.

§. 52. Et quidem hæc Thomistica est probabilissima, nõ solum S. Thomæ, S. Bonaventuræ, aliorumque Doctorum auctoritate, sed etiam Scripturæ sanctorumque Patrum, quæ adduxi à §. 18. ad 21. quæ primo pulsù sonant dependentiam Incarnationis ab existentia peccati, & eius absoluta prævisione. quæ ab Scoto explicantur quàm ægrè; quæ ego infra faciliùs explicanda curabo.

SUBSECTIO II.

Respondetur ad argumenta contra S. Thomam.

§. 53. **S**cotus contra eam sententiam S. Thomæ multa congerit argumenta: quæ nunc examino. Primum, quia Christus non est bonum occasionatum. Respondeo ex §. 43. esse bonum occasionatum per accidens, non per se, ut est cõtritio.

§. 54. Arguit Secundò. Priùs amatur quod est proximius fini, quàm quod est remotius: sed Incarnatio est proximior Deo quàm nostra salus: ergo Incarnatio priùs amatur. Respondeo, in mea sententia non distinguente intentionem finis ab electione mediorum non amari priùs finem quàm media amore efficaci. Constat item ex §. 40. Deum primo decreto circa Incarnationem voluisse simul ratione seipsum, Incarnationem propter seipsum, propter ipsam, & propter nostram salutem: hanc autem propter seipsum, propter ipsam, & propter gloriam Christi. Est autem discrimen, quòd substantia Incarnationis amata est decreto de se efficaci independenter ab actione libera creaturæ: quæ autem ex illis obiectis pendent à consensu libero creaturæ, non sunt amata decreto de se efficaci, sed efficaci à consensu conditionato, & scientia media simul cum conceptu ipsius decreti. Ne autem adstringamur vni sententiæ, respondeo ad Scotum distinctà Maiori: priùs amantur à Deo quæ sunt proximiora fini causalitate, concedo Maiorem; quæ proximiora sunt dignitate, nego Maiorem. Ratio est, quia amor incipit à fine, progreditur per media proxima, & sistit in remoto: ut æger amat sanitatem, quæ pendet ab imminutione sanguinis. hanc amat immediatè post sanitatem: ut verò sanguis imminuatur, amat phlebotomiam, propter hanc autem accersit phlebotomum. ob quod dicitur, quod est prius in intentione, est posterius in executione. Quæ verò sunt nobiliora secundum se, possunt à Deo referri ad minùs nobilia, ut dixi §. 38. & 39. item disp. 6. sect. 7. Quod significat Caietanus asserens Incarnationem esse magis volibilem propter se quàm nostram salutem, de facto

autem volitam propter salutem.

§. 55. Lorca disp. 10. n. 22. asserit ponendum verum certum, & consentaneum communi Theologorum doctrinæ, Christum prædestinatum ante præuisionem Adami peccatum. Miror stylum huius auctoris, ponentis vt certam & communem doctrinam eam, quæ neque certa est, & est minùs communis. Iam ostendi ex S. Thoma Christum non prædestinatum ante peccatum Adami. S. Bonauent. adductus §. 51. docet magis congruere rationi, Christum prædestinatum esse ante præuisionem peccati: id factum à Deo post peccatum præuisionem, ait magis congruere pietati & fidei. Caiet. affirmat Christum absolute decretum post peccatum, sicut post morbum est medicina. Capreolus atque Ferrara, docent expressè de hominum aut Christi prædestinatione nihil actum ante peccatum. Durandus, PP. Vasquez atque Ragusa, & frequenter Thomistici respondent Scoto probanti aduentum Christi independenter à peccato, quia prædestinatus est ante peccatum præuisionem: fatentur autem eam prædestinationem non esse nisi ratione nostra post peccatum. Vbi igitur inuenit Lorca illius sententiæ certitudinem & communitatem apud omnes Theologos? Ingenuè fateor, me discessurum ab hac S. Thomæ sententia, ferre tamen non possum, illi vel leuissimam notam iniuri.

§. 56. Primum fundamentum pro ea sententia iaciunt, quia Christus fuit caput angelorum: ergo Christus iam erat existens ante peccatum, quia angeli gratiam habuerunt priùs quàm peccatum. Distinguo antecedens: fuit caput angelorum in gratia sanctificante, aut prædestinatione, negatur antecedens in ea sententia, conceditur autem de capite, tum in alijs gratijs, tum in principatu: est enim Christus etiam vt homo dominus angelorum: dominus autem caput est regni. Ego ostendam à §. 102. etiam in hac sententia S. Thomæ, Christum vt hominem esse caput angelorum non in prima infusione gratiæ sanctificantis, sed in confirmatione & prædestinatione. Vnde iterum ad formam argumenti distinguo antecedens. Est caput angelorum in prima gratia, nego antecedens: est caput angelorum in conseruatione gratiæ, & in prædestinatione, concedo antecedens, & nego consequentiam. Ad probationem respondeo, angelorum gratiam esse Adami peccato priorem in prima infusione, non verò in confirmatione, nec in prædestinatione ipsorum angelorum.

§. 57. Secundum fundamentum est, quia mundus productus est propter Christum. Iam ostendi à §. 47. ad 51. mundum productum ex prouidentia communi reprobis & electis, non verò propter Christum vt hominem, bene tamen vt Deum. Si enim Adam non peccaret, homines nascerentur iusti, propter quos, & non propter Christum, factus est mundus ex hac sententia.

§. 58. Tertium, quia sequeretur nullam per præsentia decreta fore prædestinatum, si Adam non peccaret: quia prædestinatio est per merita Christi, sine quibus nullus est prædestinatus: sed nulla essent merita Christi nisi peccaret Adamus: ergo nullus esset prædestinatus nisi peccaret Adamus. Respondeo malam esse argumentationem: quia in sententia SS. Thom. & Bonauent. negante aduentum Christi nisi peccante Adamo, multi beati arerentur: non enim est credibile omnes homines

in statu innocentie iri damnatum: ergo per hæc decreta si perennaret status innocentie, essent multi prædestinati. Probo consequentiam, quia prædestinatio est, qua certissimè liberantur quicunque liberantur: sed tunc certissimè liberarentur multi per hæc decreta si non peccaret Adamus: ergo per hæc decreta multi essent prædestinati. Confirmatur. Per hæc decreta nullus hominum bearetur supposito Adamni peccato, nisi per Christum redimerentur: ergo in his decretis continetur omnium hominū reprobatio, nisi essent merita Christi: ergo eadem ratione continetur multorū prædestinatio in his decretis, si Adam non peccaret. Ad argumentum, nego sequelam. Ad probationem, distinguo Maiorem. Hominum prædestinatio (de quibus est sermo) in statu absoluto, in quo nunc sumus, est per merita Christi, concedo Maiorem, sine quibus nullus est absolutè prædestinatus: nego verò prædestinationem conditionatam in statu conditionato si Adam non peccaret, esse ex meritis Christi. Hanc autem voluntatem conditionatam homines beandi rectè vocari prædestinationem conditionatam, patet, quia si ponerentur à parte rei & absolutè, esset absolutè prædestinatio: ergo in statu conditionato est conditionata prædestinatio.

§. 59. Quartū, quia prima gratia Adami nec esset ex Christo, neque per Christum, neque ad eius exemplar. Respondeo, id nullum esse absurdum, quia in opinione sancti Bonaventuræ & Thomæ Paulus & cæteri scriptores sacri rectè exponuntur de gratia naturæ reparatæ, id est. vt quidquid datum est gratiæ post peccatum Adami, sit per Christum, ex Christo, & ad exemplar Christi. De prima autem gratia primorum parentum præcisa reparatione nihil egerunt.

§. 60. Quintum. Gratia primorum parentum fuit effectus prædestinationis ipsorum: ergo prædestinati fuerunt ante peccatum, & consequenter ante illud fuit Christus decretus, cuius effectus fuit prædestinatio parentū. Respondeo in hac sententia primam illam gratiam secundum se non fuisse effectum prædestinationis ipsorum, sed potius ex providentia communi: illa autem vt reparata, fuit effectus prædestinationis ipsorum: quia non solum illis fuit collata per merita Christi gratia, per quam depulsum fuit peccatum parentum, sed etiam reuiuiscencia meritorum fuit ex meritis Christi, quia quamuis demus reuiuiscenciam deberi iusto resurgenti à peccato; potuit tamen Deus negare eam reuiuiscenciam quam potuit velle per merita Christi, & non alio modo: itaque nullus est gradus gratiæ in Adamo, qui non debeat immediatè meritis Christi. vide §. 296.

§. 61. Sextum. Gratia vt omnibus offertur, non esset per Christum: ergo. Probat antecedens, quia voluntas nos reparandi non fuisset per Christum; quoniam Incarnationem voluit propter salutem, non verò salutem propter Incarnationem: ergo prius voluit genus humanum reparare quàm Incarnationem, & consequenter prius voluit nostram iustificationem, quàm Incarnationem. Neque videt qua ratione responderi possit, nisi per ordines intentionis & executionis.

§. 62. Respondeo Primū, ad hominem, per eos ordines fieri satis, quia vt eos admittit in prædestinatione, potest eosdem admittere in Incar-

natione, cum sit vtrouque fundamentum idem. *S. Thom. 9. 1. 43.*

§. 63. Secundò respondeo: sine illis ordinibus, voluntatem reparandi hominem per Christum fuisse conditionatam, non absolutam, neque de se efficacem, sed dependentem à voluntate Christi, vt dixi §. 54. cuius potestati permessa est nostra redemptio: si vellet mori, nos redimeret, & propter eius merita nobis Deus absolutè vellet offerre gratiam; secus verò si Christus nollet mori: velle autem, & nolle mori fuit in eius potestate: potuit enim sine peccato vtrumque. Itaque neque nostra redemptio, neque oblatio gratiæ decreta fuit à Deo absolutè, nisi propter merita Christi iam præuisa: ante quæ merita redemptio & oblatio gratiæ non fuit volita absolutè, sed sub conditione meritorum: iis autem præuisis decreta est efficaciter redemptio, quantum ad offerendam omnibus gratiam sufficientem ad salutem, electis autem efficacem. Neque potest dici gratiam nobis offerri independentem à Christo: quia nihil offertur nisi quod absolutè offertur: at absolutè Deus nobis neque gratiam sufficientem offert, nisi per merita Christi. quòd verò Deus simplici affectu & conditionato dependente in executione à meritis Christi voluerit nostram salutem, & hæc voluntas non traxerit ortum à meritis Christi, nihil interest: quia illa voluntas conditionata nihil gratiæ poneret in nobis, nisi præuisis meritis Christi in statu absoluto. ob quod nihil gratiæ nobis conferendæ voluit Deus, nisi dependentem à meritis Christi: nam in statu absoluto nullum actum absolutum exercet Deus, nisi propter ea merita: actu autem conditionato nihil gratiæ nobis voluit nisi sub conditione eorundem meritorum. quòd autem Deus cõceperit hunc actum conditionatum, non impedit quo minus gratia detur nobis per Christum, sicut id non impedit Incarnatio decreta sine meritis Christi, ex qua Incarnatione voluit Deus merita, & per merita nostram gratiam.

§. 64. Aliud argumentum affert: de quo egi §. 40. Adducit præterea nonnulla Scripturæ testimonia, quæ oppositi facillè explanant.

SVBSECTIO III.

Ex hac sententia quem locum teneat Christus in decretis Dei

§. 65. **Q**uia hæc sententia est tam communis & probabilis, oportet accuratè disquirere, in quo loco & quo decretorum ordine sint Christus eiusque mater; tum ad penetrandam rationem nostræ redemptionis, tum ad colligendam immunitatem dominæ Mariæ à peccato originali: cum enim hæc cura tam cordi fuerit Deo, non mirum si nostros etiam sollicitet animos. Ac Primū in ea sententia statuendum est, duos primos parentes fuisse prius ratione decretos, quàm Christum: quia Christus non fuit decretus nisi post præuisum originale peccatum, neque Deus fieret homo, nisi post præuisum peccatum: sed peccatum non potuit prævideri, nisi præviderentur duo parentes, qui illud susceperunt: Christus ergo vt homo est decretus absolutè & efficaciter posterius ratione quàm duo parentes.

§. 66. Controversia est, vtrum reliqui homines

S. Thom.
q. 1. a. 3.

fuerint etiam præiis in statu absoluto prius ratione quam Christus; an verò Christus prius illis? P. Ferdin. Salazar in lib. eleganti & erudito de Conceptione Virginis cap. 16. à nu. 2. censet Christum fuisse deceptum absolute post præiis in singulis hominibus originale peccatum in statu absoluto: itaque non solum fuit præiis peccatum duorum parentum, sed etiam omnium hominum, qui postea nati sunt in originali peccato. Unde concludes, omnes homines fuisse prius ratione nostra deceptos à Deo quam Christum ut hominem. Num. autem 11. ait singulos homines pro illo signo priori visos à Deo secundum substantiam & cum peccato originali, abstractos à circumstantiis parentum, locorum & temporum, quibus gignerentur ex Adamo eiusque posteris. quemadmodum in communi sententia Theologorum Christus in aliquo primo signo rationis fuit præiis cum substantia humanitatis & meritis, abstractis à circumstantia matris, temporis & loci. quæ postea fuerunt decreta cum dependentia ab ipsius meritis. Quam sententiam, postquam eam proposuero & probauero, impugnabo, & respondebo ad argumenta.

§. 67. Ego sic existimo: Duo primi parentes fuerunt præiis antequam Christus ut homo: tertius autem visus est Christus prius ratione quam ullus ex cæteris mortalibus. De primis parentibus, res est certa ex §. 65. de cæteris probo. Duo parentes non fuerunt præiis suscipere liberos, nisi posterius ratione quam præiis est Christus in statu absoluto & cum meritis: sed omnes posterii primorum parentum videntur existere absolute posterius ratione quam actiones parentum quibus eos susceperunt: ergo cæteri homines fuerunt præiis in statu absoluto posterius ratione quam Christus ut homo. Maior propositio huius syllogismi probatur: quia primi parentes exercuerunt illas actiones vitæ multis peccatis, quæ committerent nisi illis adfuisset gratia per Christum. item, non solum vitata fuere peccata, sed etiam exercitæ sunt actiones illæ cum honestate & merito: quæ non possent præstare, nisi adiuti efficaci gratia per Christum: ergo Christus præiis est existere cum meritis ratione prius quam actiones illæ. Consequentia patet, quia merita Christi nihil potuerunt impetrare, nisi ut præiis existere in statu absoluto: quia nisi in illo nullum est meritum absolute.

§. 68. Antecedens autem probo. nempe illas actiones fuisse honestas ex gratia per Christum. S. August. to. 3. lib. 9. de Genesi ad litter. cap. 4. rogans cur Adam non cognouit uxorem in paradiso? respondet: *Potest etiam dici, quia nondum Deus iusserat ut coirent.* Itaque in sententia Augustini, primi parentes coierunt ut obseruarent præceptum Dei. Quam doctrinam secutus est P. Pererius to. 1. in Genes. lib. 4. de Creatione hominis, q. 1. fine. De quo mandato obseruando etiam ab Abele, si vixisset, hæc ait August. de Mirabilib. sacra Script. aliquanto post initium: *Quippe qui in tempore illius legis vivebat, que dixit, Crescite & multiplicamini, etsi illud mandatum expleret, &c.* Et ut videatur aperte mandatum illud obseruatum à primis parentibus ex gratia per Christum, ait eo lib. 9. de Genesi ad litteram c. 10. *Ut hoc ipsum in eis illa faceret dies, quod Apostolus gemit dicens, Video aliam legem in membris meis, &c. Quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia Dei per Iesum Christum.* Vbi sentit Augustinus, eadem

ipsa die qua protoplasti peccauerunt, duo hæc eos sensisse, & motus contumaces, & efficacem gratiam per Christum ad illos compescendos, ne aliquis essent causa turpitudinis moralis in suscipienda sobole. Subiicit autem inferius: *Nunc verò transgrediendo præceptum, mortem legis illius, que repugnat legi mentis, in membris concepta mortis habere meruerunt: quæ nuptia coordinant, continentia cohibet & refrenat; ut quemadmodum de peccato factum est supplicium, sic de supplicio fiat meritum.* Vbi nullum relinquit locum dubitandi, Adamum meritorie compescuisse motus suæ carnis, & meritorie soluisse debitum coniugale ex præcepto Dei. Quod non obscure colligitur ex ipsorum parentum verbis post natum Cainum: *Possedi hominem per Deum.* Vbi P. Rius & P. Pereira lib. 7. dicunt, *Munere ac fauore Dei.* & Paraphrasis: *acquisiui illum de coram Domino.* Quibus laus indicatur fuisse nomen pijs illorum amplexibus. Nato autem Seth, dixerunt: *Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel.* Quod ait P. Rius dictum instinctu Dei, quia Seth fuit à quo propagatum est genus humanum, præsertim iusti. Quod si Abraham, Isaac & Iacob filios susceperunt cum merito, cur id negabitur primis parentibus? Ecce probatam maiorem propositionem ex §. 67. scilicet Christum præiis cum meritis in statu absoluto prius ratione, quam primi parentes darent operam liberis suscipiendis.

§. 69. Probo autem minorem propositionem ex eodem §. 67. nempe eas actiones esse præiis prius ratione quam posteros Adæ: hi enim pendunt ab illis, ut à principijs per se & adæquatam in genere causæ secundæ; principia autem per se sunt priora natura & ratione quam quæ ab illis pendunt. Ut autem de hoc constet, percurramus omnes rationes, quibus posterii Adæ præiis possint cum peccato originali iam contracto. Primum præiis possint producti à solo Deo per vnâ actionem adæquatam: quemadmodum nunc existimus, & momento post actionem à parentibus conseruamur à Deo. Quod contigisse Christo in primo instanti generationis, eumque productum per vnâ actionem adæquatam à solo Deo, & per aliam ratione posteriorem productum à Deo & Virgine, dicam disp. 28. sect. 2. subsect. 2. Hoc autem fieri non potest. Primum, quia est miraculum alienum à propagatione connaturali generis humani: quò non videtur Deus vsurus fuisse in generatione hominum peccatorum: quod videtur singulare Christi, & fortè eius Matris. Secundò, quia hi auctores non assequerentur quod volunt: hanc enim opinionem videntur esse commenti, ut præuideatur peccatum originale in omnibus existeret formaliter prius ratione quam Christus decerneretur: hoc autem non contingeret hac ratione constituendi homines productos à solo Deo: quia peccatum originale non contrahitur nisi per actionem ut dependentem à semine Adæ. Conditio enim ut peccatum contrahatur, est generatio vnus hominis ab alio ex semine & lumbis Adami: sed pro illo priori non concipiuntur homines ex semine & lumbis Adæ, sed præcisè ut producti à solo Deo: ergo non videntur cum peccato originali.

§. 70. Secundò, possunt homines considerari ut existentes post primum instans generationis conseruati à solo Deo in ea magnitudine, cuius non essent capaces in primo instanti, vel saltem ut nunc

con-

conferuamur à Deo transfactâ primâ generatione. Sic dicunt nonnulli Christum præuisum productum à solo Deo, & per merita tunc etiam præuisa eum impetratæ maternitatem Mariæ, quæ illum genuit alia actione realiter distincta, quæ euanescente conferuatus est per illam, cum qua à Deo fuit præuisus. Hoc autem esse non potest: homines enim non præuidentur cum peccato originali contracto, nisi in prima generatione ex femine & lumbis Adæ: sed tunc non præuidentur homines cum prima generatione ex femine & lumbis Adæ: ergo non possunt ita præuideri. Hi duo modi homines constituendi satis reiiciuntur in opinione admittente immediatam actionem matris in prolem: quæ actio ut pendet à femine viri in primo generationis instanti, est conditio ad peccatum originale.

§. 71. Tertiò admittamus Aristotelis opinionem, qua ille negat feminis influxum actiuum in substantiam prolis; quibus dat solam materiam & influxum in eo genere causæ. Sed neque in hac sententia possunt hi auctores suam tueri: quia ex Arist. semen virile concurret ad substantiam prolis in genere causæ efficientis in primo instanti generationis: ergo hoc semen & actiones ab illo pendentes sunt in præuisione priores quàm posteri Adami. Probo consequentiam; quia posteri præuidentur cum contracto originali peccato: at originale peccatum pendet à femine virili ex lumbis Adæ tamquam à conditione sine qua non: est enim peccatum contractum à capite transfusum per virtutem generatiuam & generationem ipsam, tamquam per conditionem: ergo inutile est iste modus ad sententiam istam.

§. 72. Dicent, videri homines in primo instanti generationis cum actione orta à femine virili: quæ neque esse, neque concipi potest sine eo semine, aut sine qualitate feminis, à qua oritur immediatè productio: at semen illud & qualitas sunt indifferentia ad hunc hominem & alium; postea verò præuisis meritis Christi, ut hoc semen sit ab hoc homine, & illud ab illo: quemadmodum potest dici Christus videri productus cum dispositionibus quas feminæ præstant: deinde visis eius meritis poterunt illæ dispositiones adscribi Mariæ. In illo priori signo possunt homines præuideri cum peccato originali: quia videntur geniti virtute feminis virilis.

§. 73. Contrà: Hæc possunt rectè componi quoad physicam substantiam in opinione negante parentibus immediatè influxum in prolem: at quod attinet ad peccatum originale, non possunt rectè componi. quia peccatum originale non contrahitur tamquam per conditionem, per virile semen ut sic, sed per semen Adæ ex eius lumbis, postquam præuisus est violatæ legem Dei: contrahimus enim peccatum originale, quia sumus filij Adæ, postquam legem transgressus est. sed tunc non præuidentur filii ex Adamo per virile semen ex eius lumbis: ergo non præuidentur peccatum originale. Maior propositio est certa de fide: Minor verò probatur: semen illud & omnia quæ in argumento recensentur, sunt indifferentia ad Adamum, & quemuis alium hominem: vt enim sunt indifferentia ad Petrum & Paulum, ita & ad alios homines possibiles non trahentes originem ex Adamo, imò & ad ipsum Adamum transgressorem legis, & non transgressorem, constitutum nostrum morale ca-

put, & non constitutum: ergo præcisè ex præuisis s. Thom. hominibus cum illo semine & qualitate non potest videri peccatum originale: quia illa non sunt sufficientia ad illud: ergo opus est vt videatur generatio vt ex Adamo iam transgresso legem: quia opus est vt videatur fundamentū contracti peccati.

§. 74. Obijcis, præuideri effectum sine causa.

Respondeo, id ægrè videri: quia effectus non potest videri sine productione, neque productio sine causa efficiendi. Sed physica prætereamus. In præfenti hæc esse non possunt: quia peccatum non est effectus physicus Adami, sed moralis: quod in ratione peccati originalis, aut est carentia gratiæ cum extrinseca denominatione ab Adami peccato, aut est denominatio extrinseca physica ab ipso peccato Adami, quæ posteris imputata, illis moraliter inest: sed non potest considerari hæc extrinseca denominatio, nisi considerato Adami peccato transfundente moraliter maculam in posteros per virtutem generatiuam, eiusque actualem generationem: ergo in illo priori signo non possunt videri peccata originalia in singulis posteris, nisi prius ratione videantur geniti ab Adamo.

§. 75. Quæ dixi de femine & qualitate, à quibus oritur actio in opinione Aristot. dico de feminis immediatè concurrentibus in genere causæ efficientis ad factum in sententia Galeni: femina enim est indifferens vt ad eam actionem iuuatur hoc aut illo semine viri: at verò peccatum originale non contrahitur per actionem feminæ, nisi vt iuuatur femine virili ex lumbis Adæ. Ob quod Christus, etiam si esset purus homo, non contraheret peccatum originale, si non esset conceptus ex femine Adæ virili, vt verè non fuit conceptus.

§. 76. Deus igitur primùm voluit Adamum & Euam in gratia: tunc nihil intelligitur decernere absolutè de posteris, sed tantum sub conditione, decreuit absolutè constituere Adamum in illo statu quo liberè susciperet filios, sed cum duplici conditione. Prima est, si Adam perseveraret in gratia, illum constitueret in illis conditionibus, in quibus susciperet filios, in quos transfunderet eam iustitiam, & ipse non committeret peccatum in illorum generatione. Secunda conditio est, si Adam transgrediretur pactum, ex hac hypothese decreuit illum constituere in occasionibus in quibus generaret filios, transfundens in illos peccatum originis. Itaque in vtroque euentu & conditione homines essent futuri: in altero cum iustitia originali, in altero cum originali peccato. Hic autem status peccati originalis habet duas condiciones, alteram in qua Christus nollet pro illis mori: in eo statu Adam committeret multa peccata in suscipienda sobole, & eius posteri præter peccatum originale haberent alia multa, propter quæ damnarentur omnes adulti ad gehennam, paruuli autem ad limbum. Si verò Christus vellet pro illis mori, Adam susciperet filios ex gratia per Christum sine peccato actuali in eis generandis, posteri autem haberent auxilia sufficientia ex gratia per Christum ad vitanda peccata; multi autem & efficacia ex eadem gratia.

§. 77. Postquam Deus ratione nostra intelligitur decreuisse existentiam primorum parentum, & vidisse illorum lapsum: postquam item per scientiam mediam cognouit Adamum, nisi moriente Christo commissurum multa peccata in genera-

tione

S. Thom.
q. 1. art. 3.

tione filiorum, & omnes homines fore damnandos; è contrà verò eos esse reparandos quoad sufficientiam omnes, & multos quoad efficaciam; voluit absolutè vt Christus veniret, & illi optionem dare passionis & impassibilitatis. Itaque decretum efficax & absolutum de Christo pendet à decreto efficaci de existentia parentum, & à scientia absoluta de illorum peccato, & à scientia conditionata de his quæ recensui. Hæc autem obserua in §. 82. Vnde concludes, nullum hominem præter primos parentes præuisum in statu absoluto, nec cum peccato originali in se contracto absolutè, nisi post præuisum Christum cum meritis in statu absoluto. A quo Christo vt homine non accepimus esse per eius merita; accepimus tamen vt possemus esse sine actualibus peccatis parentum; & quia illa potestas est ex gratia per Christum, qua instructi omnes homines possent suscipere filios sine peccatis; opus fuit ad redemptionem ex illis peccatis, vt Christi merita præuiderentur prius quàm vlla hominum generatio: quia illa non posset moraliter esse absque peccato actuali parentum, nisi præstò esset gratia per Christum.

SVBSECTIO IV.

Respondetur ad argumenta.

§. 78. **C**ontra hanc sententiam congerit P. Salazar argumenta non pauca cap. 16. à n. 3. Sit igitur primum: Christus veniret, tamen si præter primos parentes nullus hominum esset futurus, neque futurum peccatum vllum originale, sed solum primum illud actuale parentum: hoc autem est absurdum: ergo. Maior probatur: quia Christus iam esset præuisus in statu absoluto independens à cæterorum hominum existentia: qui homines adhuc post aduentum Christi sunt indifferentes ad esse & non esse: quia Adamus etiam post præuisum Christum, illos suscepit liberè: ergo cum Christo potuit componi hominum existentia, & eius carentia. Minor autem probatur, quia videtur parum consentaneum Scripturæ, Patribus, & rationi, vt propter solos duos homines Deus operaretur mysteria tam portentosa. Matthæi 18. *Venit enim filius hominis saluum facere quod perierat. Ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant*, Ioan. 10. item 12. *Non enim veni vt iudicem mundum, sed vt saluificem mundum.* 1. ad Timoth. 1. *Christus in hunc mundum venit peccatores saluos facere.* Synodus Nicæna: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de calis.*

§. 79. Prosper Aquitanicus ad Capitula Vincetiana a sserit mortem Filij Dei esse contra vulnus originalis peccati, quod in Adam omnium hominum corrupta & mortificata natura est. Anselm. libr. de Concept. Virgin. & de peccato originali cap. 27. ait frustra naturam illam in Adamo conditam, nisi ex illa homines nascerentur. Fulgen. lib. de Incarnat. cap. 3. censet necessariam fuisse mortem Christi, vt redimerentur homines à peccato transfuso ab Adamo. Affert præterea Athanas. Gregor. Magn. Cyrillum & Augustin.

§. 80. Respondeo Primum ad argumentum ex §. 78. negatà minori propositione: nullum enim esset absurdum, si post præuisum Christum nullus existeret homo. Ad probationem ex Scriptu-

ris respondeo, Christum missum à Patre, vt nos redimeret à peccatis duplici ratione: prima, cum decreto absoluto vt nos redimeret à peccatis iam existentibus: secundò, cum decreto conditionato vt nos redimeret à peccatis futuris sub conditione si homines existerent, & Christus eos redimeret. Hæc duo decreta sunt certa: quia actuale peccatum parentum iam erat existens absolutè, pro quo vt absolutè existente se Christus obtulit. deinde, nisi Christus se offerret, haberet Adamus alia peccata actualia, vt hæc non haberet se obtulit Christus. item habuit voluntatem conditionatam applicandi sua merita in remissionem eorum peccatorum, si committerentur ab Adamo. Quod Christus nobiscum fecit, propter cuius merita nobis est oblata gratia ne peccemus: item, si peccauerimus, aduocatum habemus apud Patrem.

§. 81. Hinc respondemus ad omnia Scripturæ testimonia: venit enim Christus ad redimendos primos parentes à peccatis in quibus existerent absolutè: item, sub conditione ad redimendos posterios Adæ, si essent: quia si essent, erant futuri in peccato originali; vt venit ad redimendos nos ab actualibus. Hæc autem est voluntas & prouidentia de omnibus Adæ posteris, quemadmodum coniuges habent prouidentiam filiorum quos nondum suscipere: nam congerunt diuitias relinquendas filio si eo Deus illos donauerit. Quando autem accedit voluntas efficaci Dei constituendi Adamum in occasionibus in quibus possit suscipere filios, & simul per scientiam mediam vidit illos suscipiendos in peccato originali; mittere Filium vt præstò sit remedium illis hominibus si existant, in morali æstimatione perinde est, ac si misisset Filium postquam illos vidisset absolutè in peccato. Patres eodem modo explicantur: multi enim loquuntur etiam de peccatis actualibus, quæ non fuerunt præuisa in posteris prius ratione quàm merita Christi. Idem etiam patet ex testimonijs Scripturæ. Ratio autem non vrget, quia Deus honestissimè mitteret Filium pro duobus hominibus, quamuis absolutè decerneret nullum alium producere: quia omnia Dei attributa quæ nunc, patenter tunc in eo mysterio, quod ex S. Chryso. alibi probò.

§. 82. Secundò respondeo, negatà Maiori ex §. 78. quamuis enim absolutè existentia Christi est prior ratione quàm existentia posterorum Adami, & est physicè ab illa independens; tamen antequàm præuideatur absolutè existentia Christi, est in Deo aliqua connexio cum cæterorum hominum existentia: quæ connexio est in Deo prior ratione & quasi natura, quàm decretum absolutum de existentia Christi. Hæc autem connexio est decretum efficax de constituendo Adamo in occasionibus generandi filios, & scientia media: ex quorum actuum suppositione non possunt homines non esse necessitate quidem consequenti ad eos duos actus Dei: à qua suppositione dependet decretum efficax de existentia Christi. Ad probationem Maioris respondeo, existentiam Christi non pendere ab absoluta existentia posterorum; pendere tamen à voluntate efficaci constituendi Adamum in occasionibus generandi, & à scientia media generationis: quia ab his pendet decretum de existentia Christi. Vnde deduces, Christum non venturum vt hominem, nisi posteri essent futuri.

futuri: quia Christus non veniret nisi per hoc decretum: hoc autem decretum non esset nisi ex suppositione illorum duorum actuum: illa autem suppositio non esset nisi homines essent futuri, quia scientia media non esset nisi futuri essent. Ob quod de primo (vt aiunt) ad vltimum Christus non veniret nisi Adami posterius essent futuri. Quæ hæc dixi seruiunt in disputationem 14. §. 26.

§. 83. Eadem ratione colliges, Christum non venturum, nisi futura essent omnia peccata originalia in posteris Adæ contrahenda singula in lingulis. Probat, quia ante decretum de existentia Christi fuerunt in Deo duo actus habentes necessariam connexionem cum peccato originali posterorum: à quibus duobus actibus decretum efficax de existentia Christi ratione nostra dependet. Hi actus sunt voluntas efficax Dei non impediendi peccatum originale in omnibus posteris Adæ, si ab illo generarentur. Item à scientia media de illorum generatione si ponatur Adamus in his occasionibus, & à voluntate efficaci illum constituendi. Vnde deduces, Christum missum à Deo in remedium omnium peccatorum originalium, quæ iam erant infallibiliter futura: cum quorum existentia absoluta erat in Deo infallibilis connexio & necessitas consequens. Hæc obserua in disputationem 14. §. 14.

§. 84. Rogas, vtrum Christus esset venturus si non essent futura peccata actualia in mundo præter primum primorum parentum? Respondeo, Christum mittendum fore à Deo, tamen nullum aliud peccatum esset futurum. Probat, quia Deus misit Christum ex voluntate præbendi gratiam sufficientem ad vitanda cætera peccata actualia, ex animo sincero vt vitarentur: ergo prius quàm vllum peccatum committeretur, erat præstò gratia per Christum ne committeretur: ergo si Deus obtineret finem illum per Christum, non esset cur Christus non veniret, si quidem ad id venerat. Confirmatur. Multa ex his peccatis vitata sunt ex gratia per Christum: quia impoenitentia finalis cuiusque adulti prædestinati, item & infinita alia vitata re ipsa sunt ex efficaci gratia per Christum: ergo si cætera omnia vitarentur, non esset cur non veniret. Quo differt voluntas Dei de peccatis originalibus à voluntate de actualibus, quia de vitandis originalibus nullam habuit voluntatem neque sufficientem, neque efficacem ex suppositione quòd peccauerit parentes: at factà etiam hac suppositione habuit Deus voluntatem, per quam possent omnia peccata actualia vitari ex gratia per Christum: & circa multa eam habuit efficacem. Ob quod nulla fuit in Deo suppositio antecedens existentiam Christi, habens necessariam connexionem cum peccatis actualibus in statu absoluto. Quæ obserua in disputationem 14. §. 17.

§. 85. Objicis: In Deo præcessit voluntas absoluta constituendi homines in statu in quo possent peccare; præcessit item scientia media de his peccatis. Respondeo, voluntatem mittendi Christum dependere ratione nostra à scientia media de hominum generationibus, ob quod Christus habet cum illis infallibilem connexionem. At verò voluntas donandi gratiam per Christum non dependet ratione nostra à scientia media de peccatis actualibus sub conditione futuris: ob quod gratia Christi non habet necessariam connexionem cum

illis: quæ componi potuit tam cum illis, quàm cum illorum carentia. Scientia autem media est prior logicè quàm voluntas absolute permittendi peccatum: quia ab existentia peccati in statu absoluto ad scientiam mediam de illo in statu conditionato est bona consequentia: non verò è contrà. Igitur non dependet hæc gratia à scientia media de peccatis, vt transferantur de statu conditionato ad absolutum; sicut pendet Christus à scientia media de generationibus, vt transferantur cum potentia vitandi peccata per gratiam de statu conditionato ad absolutum. Potest autem pendere donatio gratiæ à scientia media de peccatis, non vt transferantur ad statum absolutum, sed vt non transferantur. Vnde colliges non esse aliquam suppositionem causarum quæ habeat infallibilem connexionem cum peccato actuali: cum omnes hæc, quæ spectant ad Incarnationem, sint ad illud destruendum.

SVBSECTIO V.

Appendix de loco Mariæ, & immunitate à peccato originali.

§. 86. **Q**uia Virginis immunitas à peccato cordi est vniuersæ Ecclesiæ, operæ pretium duxi munire viam ad eam immunitatem tuendam in sententia S. Thomæ admittente Christum decretum absolute post absolutam præuisionem peccati, ne cogantur immunitatis assertores discedere à sententia tam communi, tam quæ probabilis.

§. 87. P. Ferdin. Salazar cap. 24. de Conceptione à n. 103. affirmat Mariam postremum locum tenere inter hominum existentias, quia Adamus & cæteri eius posterius præuisi sunt in statu absoluto existentie & peccati originalis, antequam Christus decerneretur existere: præuiso autem Christo, & eius meritis, decreta est Maria: quæ non solum, vt cæteri mortales, accepit gratiam per Christum, sed etiam existentiam naturalem. Existimat enim tantum pendisse Mariam in esse naturali à meritis Christi, quantum nostra prædestinatione. Item arbitratur, nullum hominem existere in statu naturæ lapsæ, qui non esset exiturus in statu innocentie: item, iidem omnes existerent in statu naturæ lapsæ non reparatæ. A qua lege excipit Mariam, quæ nec in statu innocentie esset, nec in statu naturæ lapsæ non reparatæ: quemadmodum Christus non esset in statu innocentie.

§. 88. Hæc probat eruditè testimonijs SS. Patrum: quæ sunt efficacia ad probandum Virginem productam eo solo fine, vt esset mater Dei: ergo si Deus non fieret homo, non produceretur Maria. Deinde probat, quia omnes homines futuri ex Adamo præuisi sunt existere in esse absoluto, & cum peccato originali prius ratione quàm Christus esset decretus: sed in ea multitudine Maria non est præuisa: ergo fuit post illos omnes. Confirmatur. Pactum cum Adamo non fuit confusum de transmissione gratiæ, aut peccati originalis ad omnes eius posteros quicumque illi essent: esset enim pactum confusum indignum Deo: neque fuit ad omnes homines possibile: esset enim pactum ridiculum: ergo pactum fuit determinatum ad hos numero homines nascituros re ipsa ex Adamo: ergo omnes illi nascerentur peccante Adamo, & non peccante.

S. Thoma.
q. 1. a. 3.

§. 89. Hinc deducit Mariam non solum immunem à peccato originis, sed etiam eius debito: quia nullus contraxit debitum ad peccatum originale, nisi contentus in pacto: sed Maria non est contenta in illo pacto: ergo non contraxit debitum. Minor probatur, quia omnes contenti in illo pacto erant futuri in statu innocentiae & naturae lapsae non reparatae: sed Maria non erat futura in his statibus: ergo non est contenta in illo pacto.

§. 90. Haec sententia est valde probabilis, addito semper cum suo auctore, debito remoto, & apta ad immunitatem Virginis à peccato originali & eius debito. eius autem rationes oportet examinare. Testimonia Patrum habent faciliem explicatum: loquuntur de Maria in statu absoluto, in quo producta est: fuit enim ut esset mater Christi, quā ipse suis meritis elegit, ut esset in hoc statu absque peccato originali, & ne in alio calamitoso sub conditione futuro. de quo hac in parte nihil dixerit Patres.

§. 91. Argumentum de hominibus praevitis in statu absoluto cum peccato originali contracto, iam dilui à §. 66. Neque verò pactum illud fuit confusum, neque univiale de omnibus hominibus possibilibus, quos bipartitos esse volo. nonnulli reiecti sunt ab existentia per decretum efficacem Dei, nullam habentis de illis producendis voluntatem absolutam, aut conditionatam; de alijs autem producendis habuit voluntatem conditionatam: haec autem conditio est actio libera Adami de suscipiendis filijs: si enim vellet dare operam uxori, produceret Deus Cainum, Abelem, & alios: si verò Adamus vellet perpetuò à femina abstinere, nullum alium hominem produceret Deus. Hoc pactum est explicitum de hoc, illo, & alijs individuis, non tamen absolutum quoad existentiam hominum, & transmissionem iustitiae, aut peccati originalis, sed conditionatum. Fuit quidem absolutum quod attinet ut Adam haberet vim transmissionis iustitiae aut peccati; quod autem attinet ad actualem transmissionem, non fuit absolutum, sed conditionatum. quod probo in genituris, abortivis, ante foetus animationem, & in peccatis eorum qui in congressu cum feminis iaculantur semen extra vas. dubitari non potest, ex eo semine multos homines fore nascituros, nisi impedirentur parentum flagitio, aliove actu libero. illi si nascerentur, essent proculdubio ex lumbis Adae, & contraherent peccatum originis: quòd autem non sint suscepti, fuit culpa parentum; non verò voluntas Dei illos absolute reiiciens, quia susciperentur quidem nisi staret per parentes. Igitur pactum Adami non est absolutum, sed conditionatum.

§. 92. Quod autem deducitur §. 89. non videtur tam efficax: quia multi censent Baptistam, Franciscum de Paula, & alios nonnullos, minimè nascituros nisi per merita Christi, quia orationibus Sanctorum impetrati sunt à Deo: quae orationes vim habuerunt propter merita Christi, ex cuius gratia facta fuere: & tamen nascuntur in peccato originali, quia pactum fuit sub conditione ut illi nascerentur in peccato, si nascerentur ex lumbis Adae, aut posterorum: ergo eadem ratione potuit Maria in pacto conditionato contineri, si nasceretur ex lumbis Adae, ex semine virili: ergo aliunde est ea immunitas confirmanda.

§. 93. Est tamen valde probabilis ea sententia, in qua me multum inclino. Existimo nullum hominem nasci in statu naturae reparatae, qui non esset nasciturus in natura lapsa non reparata, & in statu innocentiae, nisi staret per voluntatem liberam alicuius hominis. Deus enim circa homines producendos habuit duos actus: alterum efficacem de se, quo decrevit non producere multos ex hominibus possibilibus, neque ad illos parare concursum etiam generalem. Hos excludit Deus à pacto Adami. esset enim ridiculum illum constituere caput hominum quos non posset generare, neque per se immediate, neque mediate per posteros: nullus enim habet potestatem generandi filium, nisi habeat praestitum concursum generalem Dei. Igitur siue determinatio individuorum oriatur ab hoc causarum congressu, siue à voluntate Dei, nisi aut sit ea voluntas, aut ea causarum coniunctio cum concursu generali Dei, impossibile est ut nascatur hic homo: qui sine concursu Dei, & sine his causis, aut sine electione Dei illum determinante non potest esse. At verò quando homo non definit esse ex voluntate efficaci Dei, sed tantum ex hominum libera voluntate, Deus iam constituit homines proximè potentes ad alios homines generandos: habet enim voluntatem ut nascatur Petrus si velint hi duo, nempe Antonius & Maria, congregari ad suscipiendos liberos, & nolint illos impedire. Haec est secunda voluntas Dei, nimirum conditionata. de existentia Petri, nisi ster per parentes. Quemadmodum Deus habet voluntatem ut vitentur omnia peccata, ad quod parat concursum generalem, item & gratiae; quòd si multa peccata non vitantur, non stat per Deum, sed per nos: sicut quòd multae virtutes non exercentur, stat per nos.

§. 94. Haec secunda voluntas conditionata est in Deo in hoc statu circa eosdem numero homines, circa quos esset in statu innocentiae, & naturae lapsae non reparatae. Quia pactum fuit aequa sorte in omnes, qui quantum est ex parte Dei, essent in quovis ex his statibus. & quemadmodum in hoc sumus exortes originalis iustitiae, ita essemus eiusdem participes in statu innocentiae: & quemadmodum nunc ex gratia per Christum possumus à peccatis reparari, ita essemus perpetuò illis obnoxij, nisi essemus à Christo redempti. In quovis autem statu filij relictij sunt arbitrio parentum, & aliorum, ut illorum existentia absoluta impediatur aut exercentur, quemadmodum in illorum potestate est ut baptizentur, aut sine baptismo pereant. Quod verò attinet ad statum absolutum, multi non sunt in hoc statu, qui essent in innocentiae. quis enim dubitet Abelem suscepturum aliquos filios, nisi eius mors esset maturata? eius autem nex non esset in statu innocentiae. multi item sunt in hoc statu, qui in illo non essent: ex gr. adulterini. multi item non sunt in hoc statu, qui essent in natura lapsa non reparata; quia nimirum qui futuri essent eorum parentes, se continent à venere ex gratia per Christum. Igitur Deus hos omnes subiecit pacto Adami: quia illi omnes essent ex eo nascituri, nisi staret per ipsum eiusque posteros.

§. 95. Objicit ex cap. 7. Ecclesiastici, ubi Iesus praecipit filijs honorem parentum: *Quia nisi per illos natus non esses; Graecus autem, quia nisi per illos non esses.* Respondeo, à Glossa interlinearia dici, *natus non esses*.

esses Christianus; quasi habendus honor parentibus, non tam propter generationem substantialem, quam propter educationem in fide. At verò locus est de honore propter generationem substantialem; me tamen non urget: quia non essemus nisi per hos parentes, qui liberè nos genuere, qui potuerunt non gignere: quòd si nolissent, nos non essemus. Deus enim parauit concursum vt produceremur per hos parentes, non per alios, dependenter à libera illorum voluntate, vel circumstantia temporis, loci, & alijs petunt hoc indiuiduum potius quam aliud; essemus autem in alijs statibus dependenter etiam ab his alijsque parentibus. In quocumque ergo sumus, debemus parentibus gratias. Locus autem urget opinantes hos numero homines futuros fuisse absolutè in alio statu per alios parentes si non essent in hoc: ita vt deficiente hoc statu, alius conditionatus reijceretur in absolutum. Hæc aduerte in disp. 14. §. 23.

§. 96. Hæc voluntas conditionata constituendi homines in alio statu non comprehendit Mariam; quam Deus absolutè negauit in statu innocentia, & in statu naturæ lapsæ non reparatæ: voluit que Deus eam producere dependenter ab existentia Christi, & eius meritis. Itaque nisi Christus suis meritis illam impetraret ab eo, illa non esset: & quemadmodum Christus impetrauit à Deo per sua merita prædestinationem multorum, ita impetrauit substantiam Mariæ; quæ minimè esset, nisi per Christum: maternitas autem fuit finis immediatus propter quem Christus impetrauit Mariam; locus autem quem Maria tenet in esse naturali, est quartus; primus autem post Christum, qui prius cogitauit de matre sibi deligenda, in cuius vtero se Deo offerret pro hominum salute: prius (inquam) quam de generatione aliorum hominum propaganda cum potentia morali parentum ad vitanda peccata actualia in illis alioquin committenda.

§. 97. Hinc colliges immunitatem Mariæ non solum à peccato originali; sed etiam ab eius debito proximo contrahendo: quia peccatum & debitum dependet à pacto; pactum autem non tetigit Mariam, vt dixi, quia non fuit comprehensa illa voluntate conditionata. Quo differt à Ioanne Baptista, & alijs, quos impetrauerunt merita Christi: hi enim contenti fuerunt in pacto conditionato, quo existerent quidem, si illorum generatio non impediretur aliquo euentu. libero. Sterilitas ergo Elisabethæ traxit ortum ex aliqua actione, libera alicui hominum: quod impedimentum depulere merita Christi. Maria verò non per accidens, sed per se fuit exclusa. Hinc etiam constat de veritate Augustiniana, (quæ etiam indicauit Concil. Arausicum) nos per merita Christi non esse homines, sed bonos homines. Ratio est: independenter à meritis Christi Deus quantum est ex se, voluit nos esse, parauit que concursum & cetera præstitit, quibus essemus, nisi staret per aliquod arbitrium creaturum: ob quod in natura erat absolutè potentia ad productionem Baptistæ, & cæterorum hominum quos tetigit pactum; impotentia autem parentum Baptistæ licet esset antecedens comparatione illorum, non tamen absolutè comparatione omnium, fuit que impotentia secundum quid, orta non ex defectu potentia generatricis, sed ex aliquo illius impedimento, quod merita Christi depulere. At verò ad producendam Mariam independenter à

pet. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

meritis Christi, erat impotentia in toto genere humano: quia Deus noluit cum aliquo eius indiuiduo concurrere ad eius generationem, nisi dependenter à meritis Christi.

§. 98. Obijcis, hinc sequi B. Virginem non fuisse redemptam à Christo: hoc autem est falsum: ergo. Respondeo Primum negatà Maiori, non solum de peccatis actualibus, sed etiam de originali. Quia B. Virgo fuit crepta ex pacto per merita Christi morte consummata: Deus enim subiecit cæteros mortales illi pacto, à quo nullum voluit excludi, si nasceretur ab Adamo ex femine virili; at verò de B. Virgine nihil dixit absolutè, nisi eam non esse nascituram in statu innocentia & naturæ non reparatæ, sed in natura reparatæ per Christum si Christus Mariam peteret: datà autem hac hypotheci quòd peteretur à Christo, habuit Deus voluntatem conditionatam eam subiugandi pacto communi, nisi Christus eam veller exceptam: Christus autem conscius huius pacti obtulit sua merita, ne illo concluderetur Maria. Hanc autem esse veram redemptionem constat ex S. Bernardo serm. 22. in Cant. vbi asserit Christum factum nobis quod erat angelis, quibus erat sapientia, sanctificatio, & redemptio, quia illos defendit à lapsu ne caderent, cuius verba subijcio §. 104. Igitur quia Christus defendit Mariam suis meritis morte consummatis, ne laberetur in peccatum originale & eius pactum, redempta fuit per merita Christi à peccato originali. Nec fuit iniqua conditio Mariæ quòd posset contrahere peccatum originale ab Adamo; non verò originale iustitiam: quia pro ægro illo & malè sano capite subrogatum est caput Christus; à quo maiorem gratiam acciperet quam ab Adamo. Hæc autem doctrina ponit peccatum originale non esse formaliter carentiã iustitiæ originalis; quia si peccatum in ea formaliter situm esset, nullus posset trahere originale ab Adamo, quin iustitiam trahere posset: quia tale peccatum esset carentiã iustitiæ, quam poteramus & debebamus trahere ab Adamo. Secundò, responderet aliquis negatà Minori: nihil enim cogit Mariam à Christo proximè redemptam à peccato originali: satis enim est illam absolutè esse redemptam; ad quod sufficit redemptio ab actualibus: vt patet in primis parentibus. Vnde ad formam argumenti in primo modo respondendi nego Maiorem: in secundo verò eam distinguo. Non fuit redempta ab originali proximè, concedo Maiorem; non fuit ab actualibus, & remotè ab alio, nego Maiorem. S. Fulgentius lib. 2. ad Trasimund. cap. 3. rectè dixit ad eandem gratiam pertinere defensionem à lapsu, & reuocationem. Est igitur eadem gratia redemptrix quæ leuat iacentem, labentem que tenet aut eripit ab imminente lapsu. Vide disp. 86. à §. 179. vbi me reijcio.

§. 99. Hæc est prima ratio defendendi Virginis immunitatem à peccato originali & debito: ineamus secundam, non ad defendendam immunitatem à debito, sed à peccato ipso: quæ via tritior est, & magis plana. Quod mirum in modum expedite ne qua pars Ecclesiæ in sententiã probabili, & suis domesticis communi cogatur ad accliuia. Dico igitur, Mariam comprehensam in pacto Adami; ratione cuius fuisset obnoxia peccato originali, hac ratione. Deus condidit parentes primos cum pacto transmittendi iustitiam originalem, aut originale peccatum sub duplici conditione: Prima, si

N perle-

S. Thom.
q. 1. art. 3.

perseuerarent in gratia, illam transmitterent; peccatum verò, si laborentur. Secunda conditio est hæc, transfundenda in Petrum, Paulum, & alios, si nascerentur ex Adamo ex semine virili. Hinc Petrus & alij, si nascerentur, contraherent peccatum originale infallibiliter: quia Deus absoluto decreto, & de se efficaci, decreuit non impedire peccatum datà illà duplici hypothesi, nec acceptare vltius merita ad illud impediendum, & conferendam iustitiam in primo generationis instanti. Maria verò tres habuit conditiones, ad contrahendum peccatum originale: duas primas communes cæteris filijs Adami; tertia verò conditio fuit, si Christus non offerret sua merita pro immunitate Mariæ à peccato. Itaque Christus non potuit offerre sua merita pro aliorum immunitate à peccato originali: quia non potuit licitè petere à Deo, quod sciebat Deum efficaci decreto ex se decreuisse non facere; quia peteret vt Deus esset inconstans. Pro immunitate autem Mariana potuit orare: quia eam immunitatem reliquit Deus arbitratui ipsius Christi, sicut reliquit nostram redemptionem à peccatis actualibus: & quemadmodum omnes prædestinatos eripuit ab impoenitentia finali cui eant obnoxij, ita eripuit B. Mariam à peccato originali, cui erat obnoxia.

§. 100. Neque possunt Thomistici hanc aspernari rationem: quidquid enim petit Ecclesia, aut aliquis Partum ad veram redemptionem ex meritis Christi morte consummatis, reperitur in hac sententia. Primum enim teres existit testimonium Pauli: *Omnes in Adam peccauerunt*: quia Maria peccauit etiam in Adam, quia quantum est ex merito capitis & pacti, B. Virgo fuit illo comprehensa, nec potuit excipi à peccato originis ex suppositione pacti, nisi per merita Christi; sicut omnes homines in Adam damnati sumus, etiam usque omnes in massa perditionis, à qua sanati sumus ex gratia per Christum. Igitur vt sumus damnati in capite, non est opus vt sumus damnati in nobis: quia damnatio contrahenda ex capite impeditur per merita Christi: ita omnes in Christo redempti sunt, non tamen in seipsis: omnes enim reprobi tenentur sub peccati iugo, & dæmoniaca seruitute, paruuli quidem per peccatum originale, adulti verò per impoenitentiam finalem, & si qua habent alia peccata non remissa. quod rectè dicitur redemptio quoad sufficientiam, quæ est in capite: at paruuli eam redemptionem non habuerunt in se: numquam enim copulato facere solent; sunt autem in capite redempti, quia in illo est sufficiens virtus ad redimendum; redemptio autem quoad efficaciam est in Christo meritorie, in nobis autem formaliter: quia virtus capitis sortita est effectum in nobis. Idem omnino dico de peccato originali, in qua sententia non possunt inuenire immunitatem à debito: ego autem contentus ero si omnes Thomistici assentiantur Ecclesiæ: reliquæ in immunitate ab ipso peccato: quibus facile permittam quod voluerint de immunitate à debito, quam ego meditor aliqua ratione §. 102.

§. 101. In eadem sententia constituo Mariam quartam. Primi enim duo parentes, sunt primi: tertius Christus, quarta Maria. Quæ propterea per merita præuisa potuit esse auxiliatrix omnibus hominibus à prima generatione vsque ad obitum, & congruè illis mereri multos prædestinationis esse-

ctus, reprobis item multa beneficia, quibus aut bene operarentur, aut minus malè: quemadmodum dicitur de Christo, nisi quòd hic condignè, illa congruè. Hæc consequenter dici possunt cum probabilitate, de quibus agendum disp. 63. sect. 10.

§. 102. Nec item in hac sententia est, cur Maria non sit excepta à lege peccati. Potuit enim Deus decernere Christum post præuisum originale peccatum, & per Christi merita illud remittere omnibus quoad sufficientiam, & multis quoad efficaciam: de Maria autem nihil decreuit absolute, sed sub conditione, si Christus pro ea vellet offerre sua merita, non includeretur in lege peccati; si verò Christus nollet ea offerre, includeretur: Christus autem videns pertinere ad matris honorem, esse eam immunè ab ea lege, obtulit sua merita pro illa immunitate, quibus redempta sit & à peccato, & à reatu. Huc spectant, quæ dixi §. 100. de quo iterum disp. 63. sect. 10.

SUBSECTIO VI.

Quo pacto in hac sententia Christus sit caput angelorum?

§. 103. IN sententia S. Thomæ constitutente Christi decretum post præuisa peccata parentum, non potuit Christus suis meritis angelis impetrare primam gratiam, quia Adami peccatum fuit post primam angelorum gratiam, quia fuit dæmone hortante: Eva enim auiditatem pomorum acuit per apprehensionem excitatam à dæmone, quæ non solum expressit bonitatem meriti, sed etiam serpentem loquentem, à qua apprehensione ortum est peccatum: ergo priusquam Christus decerneretur, erat præuisa angelorum gratia, & malorum lapsus. vt igitur prima Adami gratia fuit independens à meritis Christi, ita & angelorum.

§. 104. At verò boni angeli in gratia accepta steterunt per merita Christi, qui ea obtulit Patri, ne boni angeli laborentur, vt eadem obtulit, vt Adamus reuocaretur à lapsu. Quam sententiam indicasse videtur S. Bernardus serm. 22. in Cantica: quamuis non tam clarè, vt non possit exponi de Christo vt Deo, non verò vt homine: cum enim dixisset Christum fuisse angelis sapientiam & redemptionem, obiicit ipse sibi: *Si itaque angeli nunquam redempti sunt, alij vtique non egent, alij non promerentes: illi quidem quia nec lapsi sunt; ij autem, quia irremediabiles sunt: quo pacto tu dicis Dominum Iesum Christum esse fuisse redemptionem?* Audi breuiter: qui crexit hominem lapsum, dedit stanti angelo ne laboretur; sic illum de captiuitate euens, sic hunc à captiuitate defendens: & hac ratione fuit vtique redemptio, soluens illum, conseruans ipsum. Ab eadem opinione fuisse videtur S. Fulgentius lib. 2. ad Trasimundum cap. 3. constituens enim necessitatem gratiæ, etiam in angelis, ait: *Ipsa igitur etiam homini reparando fuit necessaria, quia non aliter stantem angelum à ruina potuit custodire, nisi illi quæ lapsum hominem post ruinam potuit reparare: vna est in vtroque gratia operata; in hoc vt resurgeret, in illo ne caderet.* Recognosce disp. 28. §. 11. vbi ostendo ex B. Augustino aliquem verè redimi ante no cementum, quando non permittitur hosti illud inferre: vbi aureis Augustini verbis ostendo, Mariam verè redemptam à Christo ex peccato originali, quia merita Christi dæmoni non permiserunt vt noceret Mariam.

§. 105. Objicis, Bernardum egisse de Christo formaliter ut Deo, non verò ut homine: ait enim Christum factum nobis quod erat angelis, quibus erat sapientia, sanctificatio & redemptio. Vox *erat* significat Christum ut Deum, qui ante Incarnationem fuit angelis redemptio: vox autem *factus* significat Christum ut hominem, qui suis meritis fuit nobis, quod angelis fuerat absque meritis. Fulgentius autem non egit in angelis de gratia per Christum, sed absolute de gratia. Respondeo, Bernardum non exclusisse merita Christi in præferendis angelis à lapsu; sed de illis non locutum tam clarè primis verbis; posterioribus autem minùs obscure egit: quia non distinguit inter modum & rationem soluendi Adamum, & præferuendi angelos. Fulgentius autem apertius est locutus: dicit enim eadem gratia factum vtrumque: at gratia Christi ut hominis lapsum reparauit: eadem ergo tenuit angelum.

§. 106. Ad probandam eam doctrinam, non est opus nisi quæretè qua ratione decreta Dei possint congruere cum doctrina S. Thomæ: possunt autem haud difficilè. Deus primo decreto statuit homines & angelos, quibus prouidit auxilia supernaturalia, quibus possent stare in gratia: angelis qui ceciderunt, prouidit gratiam sufficientem dumtaxat cum prouidentia communi; item & duobus hominibus: de angelis qui non ceciderunt, nihil statuit absolute, sed sub conditione: si Adamus & Eua peccarent, statuit mittere Filium: ut eos redimeret, si vellet, aut relinqueret in peccato: item angelis non lapsis impetraret perseverantiam in gratia; alioquin caderent. Peccauere parentes, missus est Christus, qui obtulit sua merita, ut starent angeli; quæ fuere independentia à morte, sed eos eripuit à lapsu amore in Deum: eadem obtulit ut iacens Adamus surgeret; sed cum dependentia à morte. Prædestinatio angelorum est post præuisum Adæ peccatum, quia est post & per merita Christi, sine quibus nulli contigit æterna salus. Collatio primæ angelorum gratiæ abstracta fuit à voluntate dandi & negandi auxilia congrua: quæ data fuere per merita Christi.

SVBSECTIO VII.

Conclusio.

§. 107. Quamuis S. Thomæ doctrina communis est, & valdè probabilis; censo tamen esse probabilius Christi substantiam esse decretam efficaciter priùs ratione quàm peccatum Adami præuideretur in statu absoluto. Quam sententiam ipse S. Thomas censet esse probabilem: S. Bonauentura probabilem eam appellat, catholicam, atque rationi congruentiorem; minùs tamen consentaneam Scripturis. Multi auctores ijs duobus Sanctis antiquiores ab illa fuere; deinde Scotus cum integra schola: P. Molina i. p. q. 23. a. 5. disp. 1. memb. 7. verb. *Nilominus*, P. Suarez in hunc articulum, & alij multi ex nostris; item Lorca, Cabrera, & alij qui in deferendo S. Thomæ volunt Thomistæ videri. Pro qua afferunt multa testimonia Scripturæ: à quibus abstinco, quia sacræ paginæ stant à neutra parte: vtraque enim potest pro se adducere multa; ego quæ contra hanc objici consueuere, facilè exponam, ut & oppositi, quæ con-

Pet. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

tra suam. Concluditur quidem nostram prædestinationem & salutem, esse finem Incarnationis. Verùm autem ante, aut post præuisum peccatum, minimè concluditur.

SECTIO V.

Opinio P. Molina.

Sunt in hac sententia tuenda tam multæ, variæ & implicatæ opiniones, ut earum singulis cædendis non sint satis infinitæ secures: magis præcipuas recensebo diuisas sectionibus claritatis gratiâ.

SVBSECTIO I.

Proponitur.

§. 108. P. Molina i. p. q. 23. a. 5. disp. 1. memb. 7. v. *Quare quod ad rem presentem: acutam viam iniit, ut componeret hæc duo: Deus non fieret homo, nisi peccaret Adamus: & Incarnatio est decreta ante præuisionem absolutam peccati.* In prima propositione cum S. Thoma opponitur Scoticæ doctrinæ; in secunda cum Scoto oppugnat Thomisticam. Ait ergo, nec Deum factum in hominem, nisi peccasset Adamus; nec peccatum fuisse ratione prius quàm Incarnationem; sed vtrumque extitisse simul ratione in præuisione absoluta Dei.

§. 109. Meditatur Deum priùs ratione quàm aliquid absolute velit, cognoscentem per scientiam mediam lapsum Adami à iustitia, si in tali creetur statu, qua ratione possit à peccato reparari liberè aditus gratia per Christum. vidit item scientia simplicis intelligentiæ se posse permittere peccatum cum voluntate illud emendandi per Christum: item velle Christum ut illud repararet, & prædestinentur electi per illum. Hæc obiecta ita cognita voluit vno actu simplici indiuisibili ratione nostra in multos: quo voluit permittere peccatum cum affectu illud emendandi per Christum; & Christum propter eam emendationem ut finem proximum. Ex qua voluntate orta est peccati permissio: peccatum autem ortum est directè ab Adamo; indirectè autem fuit à permissione, ut à non remouente prohibens: item orta est directè Incarnatio ab eodem actu. Neutrum autem est priùs volitum altero, nec existens, nec præuisum; sed simul ratione videntur existere peccatum, & Incarnatio.

§. 110. Nonnulli sunt arbitrati, à P. Molina nullum alium actum constitui distinctum ratione nostra ad totius mundi machinam, nec addonandam gloriam, nec ad infligenda supplicia: quia ve vno actu voluit permissionem peccati, & eius reparationem, item & Incarnationem; eodem voluit merita ut esset gloria, & gloriam per merita. Falluntur tamen, quia circa gloriam conferendam post merita absolute præuisa habet voluntatem aliam ratione distinctam à prima: quæ secunda voluntas est efficax de se & absoluta, nec est conditionata, nec generalis, nec in efficacia pendet à nostro libero consensu; sed meritis iam suppositis vult conferre gloriam sine dependentia à libertate creata. Quam verò hic Doctor constituit identificatam cum electione mediolorum, non est absoluta, nec efficax de se, sed conditionata dumtaxat indifferens ad effectum & eius contentiam;

N 2

effi-

s. Thom.
q. 1. art. 3.

efficax autem sub conditione: quia conditionem iam existente & præuisa habet ea voluntas vim ad inferendam aliam efficacem de se repugnantem componi cum carentia gloria. Quod patet ex membro 8. vers. Certè nostra: cum enim dixisset, voluntatem conditionatam de gloria esse communem reprobis & electis, ait: *Quare cum is, qui in præmium, & sub conditione meritorum vult finem alicuius, non prius absolute velit illi finem, quam videat, & (quatenus ab ipso pendet) voluntate absoluta velit illi media; consequens profectò est, ut ex antecedente & conditionata voluntate, qua Deus omnibus voluit beatitudinem; intelligatur, nemini absolute eam voluisse, ac proinde neminem absolute ad eam elegisse, nisi per absolutam etiam mediatorum voluntatem, ac præuisionem quòd conditio impleteretur, sine qua nemini beatitudinem voluit.* Quibus constituit duas voluntates, alteram conditionatam independenter à scientia absoluta meritorum, & qua vult merita vt conditionem ad volendam absolute gloriam; alteram absolutam, posteaquam vidit impletam meritorum conditionem; quam conditionem optauerat per primam.

§. 111. Circa Incarnationem duo decreta considerat: primum circa substantiam; secundum circa redemptionem actualem. In eius sententia decretum primum est absolutum; secundum verò est conditionatum. Voluit igitur Deus absolute Christum redemptorem in actu primo proximo, & sub conditione si peccatum sit: actualem autem redemptionem & in actu secundo, non voluit nisi præuiso peccato in statu absoluto. Ita ratiocinandum patet: quia eodem indiuisibili decreto voluit permissionem peccati, & Incarnationem; ita vt neutra sit ratio prior altera. deinde absoluta voluntas de actuali redemptione supponit præscientiam peccati; sicut voluntas efficax & absoluta de gloria supponit præscientiam absolutam meritorum.

§. 112. Potest esse dubium in hac sententia, vtrum homines essent futuri, si non peccasset Adamus? Ratio dubij est, quia Deus permissionem peccati, & hominum existentiam voluit eodem actu indiuisibili etiam ratione: ergo, nisi esset peccatum futurum, homines non essent. Probo consequentiam: quia homines sunt illo decreto, quo peccatum permittitur: ergo deficiente permissione peccati, deficeret decretum de hominum existentia: quia nisi peccatum esset futurum, non esset decretum de illo permittendo. quod decretum est idem ratione cum decreto nostræ existentia. Item, si non esset futura redemptio actualis, non esset peccatum: quia Deus illud voluit permittere voluntate illud emendandi per Christum: consequenter autem non esset Incarnatio, cuius finis proximus est redemptio actualis. Vnde deficiente quauis parte obiecti illius actus, totus idem actus deficeret in denominatione libera: cum enim sit idem etiam ratione circa omnia, deficiens circa vnum, circa omnia deficeret. Et quamuis redemptio actualis est post absolutam peccati præuisionem; pendet tamen à voluntate conditionata, qua omnia fuere volita, & ex qua ortum traxit conditio: voluit enim Deus parare concursum generalem ad materiale peccati, quod noluit impedire. Vnde nec B. Petrus esset, nisi esset prædestinatus: quia eodem actu fuit volitus Petrus, & permissio peccati, & prædestinatio per merita Christi.

§. 113. Respondeo in sententia admittente præfinitiones (quæ sint voluntas Dei orta à scientia media habens necessariam connexionem cum effectu præfinito, cum cuius carentia componi non potest) neque homines futuros fuisse, nisi essent peccata futura, & nisi essent multi prædestinati, & reprobi multi: quia præfinitio quasi pendet ex conceptu suo à sensu composito scientia media: ob quod non est magis indifferens ad oppositum quam ipsa scientia. Igitur si Deus præfinitione operatus est mundum, totus hic mutuo pendet ratione illius. At verò in sententia P. Molina negantis eiusmodi præfinitiones, & suppositionem antecedentem quasi physice (logicè enim scientia media est prior, vt dixi) quæ non sit indifferens ad vtramque partem; dico homines & Incarnationem futuros, tamen nullum foret peccatum. Quia hoc decretum componi potest tam cum peccato, quam cum eius circumstantia, cum gloria, & damnatione, vt in sententia P. Molina est per se notum: quia decretum est efficax (quod attinet ad nostros actus liberos) non ex se, sed ex se, & ex nostro consensu; nec est permissio, nec inefficax actus ex se, sed ex peccato etiam, aut ex carentia boni actus, quando omisso non est peccatum: ergo potuit esse hominum genus & Incarnatio, quamuis nec peccata essent; nec prædestinatio: actus enim non pendet ab eo sine quo esse potest.

§. 114. Obijcis: Ergo in hac sententia etiam Incarnatio esset, tamen non peccaret Adamus: hoc autem negat P. Molina num. 7. vers. *Ex his omnibus*: ergo. Maior probatur, quia Incarnatio decreta est simul & eodem actu etiam ratione cum permissione peccati: sed voluntas de permissione peccati est ex se indifferens, vt componatur cum peccato, & eius carentia: ergo etiam Incarnatio, vt est illo actu decreta, est indifferens ad peccatum, & eius carentiam. Constatum. Christus est eo actu decretus vt redemptor in actu primo, non verò vt redemptor in actu secundo, vt dixi §. 111. sed redemptio in actu primo est indifferens ad redemptionem in actu secundo, & eius carentiam: ergo & Incarnatio vt est decreta, est indifferens ad peccatum, & eius carentiam.

§. 115. Respondeo ita fuisse dicendum, nisi admittatur præfinitio, & illa voluntas permittendi peccatum dependens ratione à scientia media; vt homo esset per hoc decretum, licet non peccaret Adamus. Quòd si voluntas illa pendere intelligatur à scientia media, nec homines essent, nec Christus veniret, nisi esset futura redemptio actualis: nullum enim video discrimen. Videtur P. Molina Christum constituisse decretum sub conditione peccati Adami non absolute, nisi post peccatum absolute præuisum. Quod colligi videtur ex membro 7. vers. *Quare in primis*. vbi considerans mundum, & homines existentes cum iustitia originali, ex vi huius decreti ait: *Christo interim secluso*. Quod non assereret, si Christus absolute esset ex vi eius decreti. Neros igitur contendit hic Doctor ad probandum, non distingui ratione intentionem finis, & electionem mediatorum, nec voluisse Deum efficaciter hominibus gloriam prius ratione, sed posterius quam merita. Eadem ratione philosophatur de redemptione in actu secundo; de substantia autem Incarnationis nondum satis constat, vtrum eam decreuerit absolute ante peccati præuisionem.

nitionem, an sub conditione: si eam voluit absolute, est dicendum eam futuram, licet non esset peccatum, de quo non disputo nunc. Si verò Incarnatio pendet à peccato, non esset, nisi peccatum esset. Ponamus, quæ dixi §. 111. ab eo constitui substantiam Incarnationis absolute decretam ante peccatum absolute præiustum: in id enim magis videtur inclinatus.

§. 116. At circa res alias non est opus constituere vnum actum indiuisibilem ratione. Ob quod sensibilia & insensibilia voluit actu ratione distincto ab eo, quo voluit prædestinationem: illa enim voluit vt homini seruirent in quouis statu via. Hinc sicut homo esset, quamuis non peccaret, item & quamuis non prædestinaretur, & quamuis Christus non esset; ita idem homo esset, quamuis non essent hæc insensibilia; Christus perueniret, quamuis hæc animantia non essent. Quod colligo ex ipso Doctore, qui ea tantum connectit vno actu, quæ sunt finis & medium ad illum assequendum; aut quæ non essent, nisi amarentur cum connexion: tum etiam, quia quamuis neque Christus, neque homines essent sine sensibilibus in communi, essent sine his quæ nunc sunt. Quia auctor ipse memb. 8. ver. *Quoad secundum*, admittit Christum prius ratione prædestinatum, quam hominum existentiam in singulari: ergo eadem ratione esset Christus independens ab his sensibilibus in singulari.

SUBSECTIO II.

Examinatur argumentum primum à primo absurdo.

§. 117. **I**mpugnari videtur hæc opinio Primum, quia si musca hæc non produceretur, nec Deus fieret homo, nec mundus existeret. hoc autem est ridiculum: quia quæstio hæc de aduentu Dei in carne non existente peccato est grauissima, & redditur ridicula in hoc sensu: quia est idem de motu muscæ, ac de Adami peccato: ergo. Probatur Maior, quia si musca hæc non produceretur, esset, quia Deus nollet eam producere: sed nolente Deo producere muscam, mundus nõ esset: ergo si musca non produceretur, mundus non esset. Minor probatur, quia nolente Deo producere mundum, mundus non existeret: sed nolente Deo producere muscam, nollet producere mundum: ergo mundus non esset nolente Deo producere muscam. Probatur Minor, quia voluntas de producenda musca est per te eadem etiam ratione nostra cum voluntate de producendo mundo: ergo desinente in Deo voluntate de producenda musca, desineret voluntas de producendo mundo: alioquin ratione distinguerentur, quia potest manere altera secundum denominationem, altera non manente, quin sint aliquo pacto diuersæ: vt non potest manere cognitio de Petro & Paulo, si desinit cognitio de Petro: quia sunt idem.

§. 118. Respondebis Primum ex §. 116. Deum vnico actu indiuisibili condere voluisse vniuersum, homines quidem in singulari, eorum prædestinationem in communi, & res sensibiles etiam in communi: deinde voluit hæc sensibilia, & horum hominum prædestinationem in singulari per merita Christi, alio quidem actu diuerso ratione à

Per. ilustrado de Mendoza de Incarn. pars I.

primo. Ob quod quamuis multa sensibilia in singulari non essent, ne hic homo esset prædestinatus; adhuc Christi Incarnatio esset.

§. 119. **C**ontrà: Ergo totus mundus cum suis partibus & accidentibus non est decretus vno actu indiuisibili, sed pluribus: in quo multum amittit opinio: sed illa decreta de obiecto confuse non possunt hic admitti: quia quamuis aliunde essent admittenda (quod non est admittendum) adhuc hic non esset eis locus: quia opposita sententia constituit hunc mundum in statu absoluto per vnum decretum, vt præiustus fuit non solum vt possibilis scientia simplici, sed vt futurus sub conditione scientia media: sed hæc scientia terminatur ad rationes omnino singulares: ergo decretus fuit mundus in singulari cum suis partibus & accidentibus. Minor probatur: tum quia status hic absolute est rerum in singulari, qui fuit præiustus sub conditione: tum quia scientia media contemplatur diuersos euentus liberos, singulares pendentes ex conditionibus diuersis singularibus, & quemadmodum in statu absoluto non est scientia Dei nisi de singularibus; quia nihil existit nisi in singulari: ita nec scientia media, cuius obiectum non differt ab obiecto visionis, nisi ratione status.

§. 120. **V**nde deduco, non esse consequens in ea sententia admittere prædestinationem in communi per vnum decretum; & distinctè in singulari per aliud. Ob quod aut voluntas efficax de gloria est ante merita præiusta; quod recusat P. Molina. aut nihil est actum de prædestinatione, nisi in singulari post peccatum præiustum in statu absoluto.

§. 121. **S**ecundò responderi potest, Deum assumptum ire carnem, licet non essent hæc bruta & insensibilia: quia licet actu absoluto vno indiuisibili etiam ratione ea omnia voluerit Deus; at alio actu conditionato fuit affectus ad producendum hominem ad gloriam cum alijs creaturis seruientibus homini, quamuis has ei negaret: at verò Incarnatio non esset nisi existente peccato: quia Deus aut habuit actum conditionatum de illa non decernenda nisi propter emendationem peccati, vel non est opus eo actu: quia deficiente causa finali, deficit effectus. imò licet Deus haberet actum conditionatum de alijs creaturis irrationalibus, vellet mundum, licet non vellet has in particulari. discrimen est clarum: quia finis ratione suæ bonitatis mouet, media verò non nisi vt sunt vtilia: cum autem ad finem suppetant alia media, non relinquitur finis, licet hoc relinquatur medium: quia licet ille numero actus deficeret; at non deficit ratio adæquatè motiua, quæ impelleret voluntatem ad eam amandam cum alio medio, quamuis non impelleret ad hoc: quia æquè mouet ad omnia. At verò Incarnationis finis creatus adæquatus habet connexionem cum emendatione peccati: deficiente autem sine deficit voluntas eorum quæ sunt ad illum.

§. 122. **Q**uæ confirmo in omnium Philosophorum opinione. quando finis amatur efficaciter, & non pendet ab vnico medio, non est necesse amare finem cum hoc medio potius quam cum alio: sed potest amari finis, licet hoc medium rejiciatur. Quod commune est distinguentibus, & non distinguentibus intentionem finis, & electionem mediolorum. Nam qui eas distinguunt, constituunt intentionem priorem ratione aut natura electio-

S. Thom.
q. 1. a. 3.

ne: qui verò non distinguunt, dicunt moueri agentem eodem actu ad finem simul cum hoc medio. & quando ita mouet finis, moueret ad aliud medium, si ad hoc non mouisset: quia tota bonitas motrix ibi reperitur; quæ hoc medio non iuuatur magis quàm alio. Ex ipsa igitur natura finis, mediorum, & affectuum id colligitur: si enim ego volo propter mea commoda ire Valmasedam, & pulsatus affectu simplici ad ea commoda, illa volo cum hoc equo ad iter, cur non vellem eadem cum alio æquè bono? Quando media sunt diuersæ rationis, non est idem argumentum; quia sæpè à fine cessamus propter mediorum difficultatem: vt ego non petam Valmasedam pedes, petam autem eques.

§. 123. Obijcies, iam saltari extra chorum: est enim quæstio, vtrum ex vi presentium decretorum esset Incarnatio, si non peccasset Adamus? Confugitur autem ad decreta alia non existentia: quæ vtrum futura essent, non diuinamus.

§. 124. Respondetur Primum, admissis actibus conditionatis semper saltari intra chorum: habentur enim à Deo. Quod colligimus ex S. Scriptura, quæ constituit Christi Incarnationem dependentem ab emendatione peccati tamquam à fine: & non constat de aliquo actu conditionato Dei de eius existentia, si peccatum non esset: id quæ Sancti testantur. At nulla ratione constituitur Christus, aut homo dependentes ab his numero sensibilibus; tamquam à fine; sed tantum pendet vt à medio: & ex illa celebri quæstione inter Patres, & ex illorum consensu in non cogitando de carentia mundi, si hæc musca non esset; colligitur clarè eos actus esse in Deo, qui cum liberrimi sint ex sola sacra Scriptura & Patribus vestigantur. At in illis actibus conditionatis nihil est imperfectum: statuit enim Deus creare hominem cum his brutis illi seruituris, certus eum creare cum alijs, nisi cum ijs crearet, quod conijecit ex bonitate finis, & æquali vtilitate mediorum. vtrumque autem dare simul non expedit, vt qui à Deo impetrat filium, non impetrat duos, sed vnum. valet autem oratio ad hunc; qui nisi daretur, valet ad alium: dicit quæ Deus: Do tibi hunc, daturus alium, si hunc nollem.

§. 125. Secundò respondeo, nos non posse diuinare, vtrum Deus exerceret alios actus ad creandum alium mundum, nisi hunc crearet. Si enim abstineret à bonitate hominis amandi, & creandi Adamum, & cætera propter illos; nescimus quid ageret. At supposito amore in finem vnus creaturæ, ad quam referat alias; rectè colligimus à Deo eligendas alias ad hunc finem, licet has non eligeret, quia stat affectus in finem: & quamuis hic affectus efficax non influit in alium qui esset, at bonitatis finis indifferentis ad plura bona æqualia, vt mouet ad hæc, rectè arguitur motura ad alia. Nec Patres multum curant de hac actuum distinctione aut identitate: sed de ipsis loquuntur obiectis: an Incarnatio sit propter peccati emendationem, an verò propter aliud? Qui dicunt eam factam propter peccati emendationem, dicunt eam non faciendam Adamo non peccante, sed hominem sine Christo dirigendum in vitam æternam. qui verò negant eam factam absolute in emendationem peccati, asserunt faciendam eamdem, tamen si non peccasset Adamus: siue enim ij actus ratione

distinguantur, siue non, hæc contingerent. illa autem metaphysica subtilitas quid interest?

§. 126. Ad hæc ego, qui non distinguo rationem intentionem finis ab electione mediorum, ijs premor angustijs. Quia Deus hominem hunc numero creauit ad æternam felicitatem, ad quæ illi prouidit hanc numero vocationem, gratias, & alia in singulari: ad corpus alendum & tuendum illi prouidit hunc numero solem, lunam, partum, &c. quia vnico actu indiuisibili voluit tamquam finem hominis, & media ad illum. Ob quod si non creasset hunc solem, non habuisset actum, quo creauit Adamum re ipsa: nec propterea dicam Adamum non fore creandum, nisi Deus voluisset hunc numero solem. Idem dico de omnibus creaturis, quas Deus decreuit sine dependentia à nostro consensu: quæ autem dependenter, voluit conditionatè; ita tamen vt numquam distinguantur ratione in Deo intentio & electio.

§. 127. Ob hæc proposita à §. 121. existimo non esse deferendam sententiam P. Molinæ, quia in mea opinione, quam probaui esse S. Thomæ, idem dicendum est. Nec enim asseruri sumus quod aliqui non esse absurdum, Christum, & totum mundum non existitum in carne, nisi hæc numero musca existeret: quia Patres & Doctores asserentes Christum non venturum in carne, nisi Adam peccasset, constituunt statum innocentie perennaturum sine Christo; multò melius dicunt sine musca: nec de illa instituunt quæstionem: ergo hæc non pendet à decreti diuisibilitate aut indiuisibilitate per intellectum; sed à ratione finis, & mediorum indifferentium: quæ enim Deus voluit vt finem aliarum rerum, essent per alia media, alioquinque actus: hic enim coniunctus est cum alio efficacis sub conditione de alijs medijs, si hæc non essent. Quod colligitur ex affectu Dei speciali in hos homines, non verò in hæc bruta: vnde si ex eo affectu non deriuaretur hic actus de ijs brutis, deriuaretur alius actus de ijsdem hominibus cum alijs brutis. Quæ autem voluit vt media, non essent cessante fine in singulari: quia in hunc numero hominum cœtum Deus voluit ostendere diuitias gratiæ suæ.

SUBSECTIO III.

Examinatur secundum argumentum.

§. 128. Secundum argumentum contra hanc opinionem P. Molinæ est, quia constituit Deum auctorem peccati: ergo. Probo antecedens: quia Deus antequam videat peccatum existere, vult Christum vt redemptorem: ergo vult vt peccatum existat. Probo consequentiam: quia qui vult antecedenter redemptorem, vult virtualiter ea, à quibus redemptio vnice pendet: pendet autem vnice à peccato: ergo. Est quæ argumentum idem ac de penitentia amata efficaciter ante præuisionem peccati.

§. 129. Ponendum, peccatum non posse permitti ex affectu Dei in penitentiam actualem, neque actum alius virtutis, cuius obiectum pendet à formali peccati, siue à peccato formaliter. quod abunde probaui disputans de prædestinatione. Et quamuis P. Molina q. 23. art. 2. disp. 3. prope finem constituit permissionem peccati inter præde-

stin-

stinationis effectus, non tamen ex affectu pœnitentiæ (quod etiam præstiterunt P. Suarez, & alij) sed ex alijs motiuis. Item P. Molina constituit emendationem peccati vnicum Incarnationis finem inter creatos, id est, cum quo cæteri ex voluntate Dei connectuntur: neque admittit peccatum permitti, vt repararetur per Christum; sed potius decernitur Christus reparator, quia præuidetur peccatum sub conditione futurum. Deus autem volens illas omnes occasiones, quibus homo erat abusus ad peccatum, idque Deus præuidens, voluit simul cum iisdem occasionibus præto esse medicinam. Non quod morbos permittere veller, vt eis mederetur Christus; sed quia illos iam vidit imminentes.

§. 130. Ad argumentum ex §. 128. nego antecedens: ad probationem, distinguo antecedens: Christum vt redemptorem vult absolute, & vt finem permissi peccati, nego antecedens: voluit redemptorem sub conditione peccati iam præuisi per scientiam mediam, & proximè imminenti, & vt finem ad eius emendationem; concedo antecedens, nego verò consequentiam. Ad probationem antecedentis distinguo Maiorem: qui vult redemptionem absolute vt finem eorum sine quibus esse non potest, vult virtualiter illa omnia, concedo Maiorem: quia in voluntate absoluta finis continetur saltem virtualiter voluntas eorum sine quibus finis obtineri non potest: at qui conditionatè vult redemptionem, & non vt finem peccati permissi, sed vt medium ad illud tollendum, non vult virtualiter ea sine quibus redemptio esse non potest: quia non vult vt existat redemptio, nisi prius existat peccatum vt conditio. Quod enim Deus ageret pluribus actibus ratione distinctis, quorum alius ratione nostra supponeret alium, agit in hac opinione vno actu indiuisibili ratione nostra.

§. 131. Aduerte, hac sententia P. Molinae duas concludi quæstiones: alteram, vtrum hæc voluntas conditionata de permissione peccati, redemptione, gloria & pœna sit vnum decretum indiuisibile ratione nostra. probabo enim inferius esse aduertenda plura. Altera quæstio est, an decretum illud (ex hypothese quod sit vnum etiam ratione) sit voluntas permittendi peccatum propter redemptionem? an verò redemptio sit propter emendationem peccati? Dico, ex ea opinione non sequi permissionem peccati esse propter redemptionem. Vult enim Deus, vt sit Incarnatio post peccatum, & in eius remedium: peccatum autem non vult permittere propter redemptionem, sed propter alios fines, vt autem res in tempore contingunt, ita illas Deus vult ab æterno vno actu. Simultas ergo rationis est ab æterno in decreto Dei; in tempore autem res sunt cum prioritare durationis: sic autem sunt à Deo decreta. Quo differt hæc sententia ab admittente permissionem peccati ex fine gloriæ Christi vt redemptoris: in qua Deus veller peccatum formaliter, essetque eius auctor: quia nisi per illud vt est peccatum, non posset esse redemptio.

SVBSECTIO IV.

Impugnatur à priori sententia proposita.

§. 132. Igitur sententia P. Molinae proposita à §. 109. impugnatur à priori. Voluntas efficax

& absoluta redemptionis & vitæ æternæ differt in Deo ratione nostra à voluntate solum conditionata de iisdem obiectis: sed Dei voluntas præcedens scientiam absolutam peccati & meritum est conditionata tantum; qua verò post merita, & peccatum præuisum vult redemptionem & gloriam, est absoluta: ergo sunt ratione nostra distinctæ. Minor est clara tum ex ipsis auctoribus, vt constat ex §. 110. tum quia non agitur de ordine intentionis & executionis in actibus diuinis, quorum vterque sit efficax in suo genere, quia nõ admittitur nisi vnus actus indiuisibilis etiam ratione. Vnde antequam præuideantur absolute merita bona, aut mala, nullus in decreto efficaci Dei damnatur, aut beatur. de quo non est controuersia. Maior probatur Primum, quia in nobis illæ voluntates distinguuntur realiter: sunt enim separabiles: ergo in Deo ratione: quia principia distinctionis realis in nobis sunt ad distinctionem rationis in præsentia: quia est ob diuersos status, & cognitiones obiecti. Secundò probatur, quia scientia media & absoluta differunt in Deo ratione nostra, vt ipsi admittunt: ergo & voluntas conditionata & absoluta. Probo consequentiam: quia licet obiectum sit idem vtrique voluntati, sicut & scientiæ; at est in statu diuerso: quia voluntas conditionata non supponit merita vt existentia, sed desiderat vt sint; absoluta autem supponit merita vt existentia absolute: vt contingit scientiis. item conditionata est desiderium; absoluta autem supponit gaudium; qui duo affectus ratione differunt in Deo. Quæ huic argumento obijciuntur diluam sectione 4. vbi ostendam actum conditionatum non transire formaliter in absolutum: vbi fusius hæc agitur causa: quam hic perstringo, quia id exigit doctrina quam impugno.

§. 133. Tertiò, quia illæ duæ voluntates sicut in nobis sunt separabiles realiter, in Deo sunt separabiles in denominatione & ratione nostra: ergo vt in nobis sunt realiter distinctæ, in Deo ratione. Consequentia est certa: quia vt separatio realis est argumentum distinctionis realis; ita separatio denominationum & rationis est in Deo argumentum distinctionis rationis. Antecedens probabo: quia in nobis potest esse realiter voluntas conditionata dandi librum Petro, si rectè se gesserit, quin vquam sit voluntas absoluta dandi librum: quia cum illa conditionata potest componi Petrum non ferere rectè, & carentia conditionis; cum qua carentia non potest esse voluntas absoluta. item Deus potest habere voluntatem conditionatam dandi gloriam Petro, si decedat in gratia, & cum illa potest Petrus componere excessum in gratia, & in peccato: quia nec excessus in peccato, nec in gratia pugnat cum illa conditionata voluntate. Pone excessum extra gratiam; Deus numquam habebit voluntatem absolutam de gloria Petri: quia numquam impletur conditio: ergo voluntas conditionata est in nobis realiter separabilis ab absoluta: in Deo autem est separabilis denominatione & ratione. Non ago nunc de voluntate prædefiniente; tum quia ostendi in prædestinatione eam & absolute, & in opinione P. Molinae pugnare cum nostra libertate. tum etiam quia duæ sunt voluntates Dei: altera, quam comitatur scientia media, quæ componi potest ex se cum scientia media de opposito: quia Petrus cum hac voluntate Dei, &

S. Thom.
2. 1. 4. 3.

vocatione, ita conuertitur, vt possit non conuerti. Hac voluntas Dei, quod in se est, potest in denominatione libera separari ratione à voluntate absoluta & efficaci, & componi cum voluntate efficaci excludente Petrum à regno. Altera voluntas ponitur ab aliquibus præfinitiuam; quia non est separabilis à scientia media de hoc obiecto: quia vt præfinitiuam pendet formaliter ab ea scientia. Hac non est separabilis à voluntate absoluta, quia eam infert necessariò: at est distincta ratione nostra. Quod sic probò à priori, & est quartum argumentum.

§. 134. Voluntas absoluta pendet à scientia absoluta de meritis Petri, & existentia peccati: voluntas autem conditionata est ratione prior, quam scientia absoluta, & non pendet ab ea: ergo vtraque voluntas ratione distinguitur. Secunda pars antecedentis datur & necessariò ab oppositis: quia illa voluntas conditionata antecedit realem & absolutam existentiam obiecti: scientia autem absoluta sequitur absolutam existentiam obiecti: ergo voluntas conditionata antecedit scientiam absolutam meritorum. Prima pars antecedentis probatur: quia Deus ideo vult absolutè gloriam Petro, quia eum videt absolutè dignum gloria, & ideo vult absolutè mereri peccato: quia absolutè videt vulnus peccati: ergo absoluta voluntas de gloria & redemptione pendet ab absoluta scientia meritorum atque peccati. quæ argumentatio est euidens.

§. 135. Confirmatur. Scientia visionis est necessaria ad conferendum præmium; quod datur propter merita vt exercita, vt patet in pœna infligenda, quæ semper infligitur dependenter ab existentia peccati: sed scientia ideo est necessaria, vt moueat voluntatem, per quam influit in præmium, & supplicium; existentia autem meritorum influit moraliter: ergo ex scientia oritur ratio nostra alia voluntas absoluta; alioquin non esset necessaria: quia voluntas alia iam existeret prius ratione. Huc spectant propositiones causales: *Ideo Deus præmium donat, quia est meritum: non è contrà: Ideo est meritum, quia præmium donatur.* Quod etiam admittunt constituentes diuersum ordinis in intentione, ac in executione.

§. 136. Obijciunt, scientiam absolutam esse necessariam, vt actus conditionatus transeat in absolutum. Contrà: Ergo iam ille actus est virtualiter multiplex. Secundò, idem numero actus non transit in absolutum nisi virtualiter: quia ex eo posita conditione oritur absolutus. Sic accipitur commune adagium: ergo est alius ratione. Antecedens probò. Primùm, quia nullus noster actus transit formaliter ex conditionato in absolutum: quia ille transitus esset realis: primò enim non erat realiter absolutus, deinde est absolutus realiter: alioquin recidemus in connotata; quæ neque hîc locum habent; alioqui vno actu realiter amaremus omnia positis diuersis connotatis. Ratio à priori, quia actus absolutus petit per se diuersum meritorum statum, atque notitiam: conditionatus autem eam non petit per se. Alter item est desiderium: alter autem pendet à gaudio meritorum. Denique scientia absoluta & conditionata in nobis realiter, in Deo ratione sunt duæ; nec conditionata transit in absolutam, ergo nec affectus: quia est eadem ratio.

§. 137. Ita voluntas conditionata medendi peccatis est distincta ab absoluta: quia absolutè nullus vult mederi nisi vulnere viso. Vnde illa prima voluntas Dei est conditionata, secunda verò est absoluta: ex vi primæ si Adam non peccaret, adhuc Deus fieret homo, loquendo physicè ex conceptu illius voluntatis: sicut Petrus vocaretur ad gloriam, tamen numquam bene operaretur: at moraliter potest illa voluntas dici absoluta de emendatione peccati; sicut voluntas conditionata gloriæ cum circumstantia scientiæ mediæ de gloria futura, potest dici in æstimatione morali voluntas efficax; quia qui vult dare gloriam antecedentis & ex se, & videt gloriam futuram sub conditione, & ponit conditionem, vult moraliter gloriam efficaciter; non tamen pœnas: quia non habet voluntatem, & amorem antecedentem circa illas. vt dixi in prædestinatione. Vnde loquendo moraliter, Deus in ea sententia non fieret homo, nisi Adam peccasset; & factus est moraliter in remediũ peccati absolute, quamuis non physicè. quæ implicatur in hac sententia, iam indicaui à §. 112. Animaduerte hac de re longum futurum sermonem à §. 319. nunc autem hæc sint satis instituto præfenti.

SECTIO VI.

Sententia aliquorum Thomistarum.

§. 138. **A**liqui, qui se Thomistas gloriantur, deferrunt S. Thomæ sententiã, censuerunt decretam Incarnationem ante præuisum absolutè peccatum: quia peccatum est permixtum ob Incarnationem vt finem. Quia verò nec eodem tramite incedunt, nec satis clarè, expedit illorum sententiã expendere singillatim.

SUBSECTIO I.

Sententia Bartholomei Medina, & Petri Cabrera.

§. 139. **B**artholomæus Medina art. 3. q. 1. respondens ad quædam argumenta in eo loco, in cuius margine scribitur: *Respondetur ad hæc argumenta. Ad primum: censer non esse inconueniens duas res mutuo pendere, & esse priores & posteriores in diuersis causarum generibus. Incarnationem ait esse finem omnium creaturarum, & permissionis peccati, in quo genere Incarnatio est prius permissione peccati: hæc autem est prior quam illa in genere causæ materialis. Idem asseruit Petrus Cabrera disp. 1. in art. 3. n. 406.*

§. 140. Medina minus malè explicat eam prioritatem in genere causæ materialis; quia peccatum est occasio, ex qua Deus voluit Christi Incarnationem in remediũ peccati. à qua explicatione non abhorret Cabrera num. 333. & alijs: addit tamen de suo, permissionem peccati, & nostram prædestinationem esse priores prædestinatione Christi in genere causæ materialis; quia sunt imperfectiora Incarnatione: omne autem imperfectum pertinet ad causam materiale.

§. 141. Primùm: hoc vltimum Cabrera est alienum à philosophia: quia non omnia imperfecta pertinent ad causam materiale proprie aut im-

proprie, esto dicantur ad materiam metaphoricè reduci: visio enim beata imperfectior est, quam gratia habitualis, cognitio angelica quam eius substantia: actiones externae Christi, quam eius Incarnatio: ubi meum Salmantice, quam mea substantia: & tamen visio beata non est prior in genere causae materialis, quam gratia aut lumen gloriae, nec cognitio angelo, nec actus externus Christo, nec meum ubi me: nec earum rerum perfectiorum voluntas pender à praeuisione absoluta imperfectiorum.

§.142. Deinde, si substantia Incarnationis est finis permitti peccati: ergo prius ratione decreta est Incarnatio, quam peccatum praeuideatur. Probo consequentiam: quia per vos prius amatur finis, quam media, vel conditiones ad finem; quod enim est prius in executione, est posterius in intentione: quia quod est prius in intentione, est posterius in executione. quod ipsi explicant de intentione & executione in ipsis actibus voluntatis: ergo peccatum non potest praeuideri prius ratione, quam decernatur Incarnatio, ob quam erit peccatum.

§.143. Medina respondet, peccatum non praeuideri ut existens, sed ut futurum. Contra: Futurum est existentia rei tempore futuro cum carentia existentia tempore praesenti: sicut praeteritum est quod ante fuit, & nunc non est: ergo visio Dei terminatur ad existentiam peccati tempore futuro: ergo pro aliquo tempore iam peccatum cognoscitur existens: maxime in illorum sententia de cognitione diuina futurorum in coexistentia & praesentia aeternitatis: ob quod Deus cognoscit futura, ut sibi praesentia. Quod si Medina velit futura non videri immediate in se, sed in causis; nihil dicit: quia in ipsorum sententia nulla creatura videtur in se ipsa immediate, sed in causa; adeo ut effectus liberi videantur in decreto Dei efficaci de illis. Adde, causam illam esse finem, qui est Incarnatio: ergo prius videtur Incarnatio, quam peccatum.

§.144. Cabrera aliter respondet num. 400. & 401. peccatum esse prius quam eius permissionem: quia permisso est alicuius peccati permisso; & ex ipsa existentia peccati sumitur occasio ad volendam talem permissionem: quia voluntas non potest moueri nisi circa rem cognitam, & excitatur ad volendam permissionem peccati ex eo quod futurum est, necessarè debuit peccatum praecognosci scientia visionis ante permissionem.

§.145. Haec doctrina est aliena etiam à philosopho, nec ad rem. Primum, quia peccatum existens ut peccatum, est actio voluntaria, & libera: ergo debet eius existentia cognosci, ut oriens actu à cognitione & potentia libera: ergo in illo conceptu videntur existere principia sufficientia ad illud vi-randum: ergo & voluntas Dei circa talia principia, quae quando carent effectu, includunt permissionem peccati, quod committitur: ergo peccatum est post permissionem: maxime in eius opinione constituyente auxiliium esse sufficiens de se, & non ex consensu nostro.

§.146. Ad rationem Cabrerae respondeo, permissionem esse permissionem alicuius peccati, quae quoad substantiam & entitatem non est posterior actu, sed prior: ut productio est termini posterioris, & damnatio est ad poenam posteriorem. Ad probationem respondeo, occasionem permittendi peccatum non sumi ex eius scientia visionis, sed

simplicis intelligentiae, & finium, ob quos permit-titur.

S. Thom.

q. 1 art. 2o

§.147. Eam doctrinam esse abs re, probo: quia tam peccatum, quam eius permissio sunt occasio vel medium ad Incarnationem, tamquam ad finem, per se: sed medium aut occasio amatur aut accipitur posterius, quam finis intendatur: ergo. In mea autem opinione non distinguente intentionem finis ab electione mediorum; nec prius videtur vnum, quam aliud, nec amatur efficaciter.

§.148. Secundò probo ad hominem, Incarnationem in intentione non pendere à visione peccati; quia eodem modo pender Incarnatio à permissione peccati, quo gloria à meritis: in illorum enim sententia Deus efficaciter intendit gloriam, quae antecedit in ea intentione, meritorum praeuisionem; item quo poenitentia pender à peccato, & eius permissione: sed gloria prius est praedestinata in intentione quam merita, & poenitentia quam peccati permissio: ergo Incarnatio prius est praedestinata in intentione, quam peccatum praeuideatur: nec opus est illa mutua dependentia. At si in voluntate Dei reculerent eos duos ordines intentionis & executionis, nunquam gloria est praedestinata ante merita praeuisa.

§.149. Mirro in hac sententia admitti permissionem peccati, ut ex ipsa sumatur occasio Incarnationis, & reparationis: quod impugnabo contra Lorcam subsect. sequ. Nunc satis est probare, in hac sententia non constitui bene decretum Incarnationis post peccati praeuisionem, nec ante illam: quia hi auctores implicata sequuntur. Ob quod etiam praetereo mutua causalitatem, maxime in eodem genere amati, quam impugnaui non semel.

SVBSECTIO II.

Opinio Petri Lorca.

§.150. **A**Liter philosophatur Petrus Lorca disp. 10. Afferit Primum num. 34. Incarnationem decretam ante praeuisionem peccati, & independentem à peccato futuro: ita Incarnatio potest executioni mandari per alia media independentem à peccato: quo deficiente, Christi Incarnatio adhuc fieret, non ex vi huius decreti, sed alterius, quod tunc Deus haberet. quod colligitur: quia motuum huius decreti est independens à peccato. Haec dicuntur à Lorca posse dici probabiliter, quae absolute sequi videntur num. 35. sine. Haec est prima pars sententiae Lorcae, quam esse contra S. Thom. nemini dubium qui legerit articulum.

§.151. Non dissideo à decreto primo independenti à peccato; nec dissideo à Christo venturo, tamen non peccasset Adamus: dissideo à necessitate alius decreti, quo veniret Christus Adamo non peccante. Si Lorca sentiret non distingui realiter in nobis, nec ratione in Deo intentionem finis ab electione mediorum; diceret haec consequenter, ut ego dixi §. 126. & 92. At Lorca disp. 16. de actibus humanis, eos actus distinguit: in qua distinctione afferendum est, primum decretum nunc existens esse satis ad mittendum Christum Adamo non peccante: quia Lorca censet (& in sententia distinguente intentionem ab electione sentiendum est) primam intentionem esse independentem à peccato, & posse executioni mandari sine interuentu

pec

S. Thom.
9. 1. 3.

peccati: ergo illa prima intentio componi potest cum medio dependenti à peccato, & cum non dependenti. Consequentia probatur: quia intentio finis independenter à medio unico, & potentis obtineri per diuersa, componi potest cum quolibet ipsorum: quia connexio cum hoc in particulari non est illi necessaria, sed ex voluntate eligentis; quod hic & ipse Lorca fatetur.

§. 152. Dices, Lorcam intelligendum non de quocumque decreto præciso à decreto adæquato, quo Deus vult Incarnationem; sed de toto decreto complectente intentionem finis, & electionem mediatorum. Contra: Etiam Scotus ait Adamo non peccante Incarnationem futuram, sed per aliud decretum: quia tunc Christus esset impassibilis, quod nunc absolute non est decretum. Est igitur questio, vtrum nunc sit in Deo aliquod decretum, ex cuius efficacia Incarnatio fieret; tamen non peccasset Adamus: Quod perinde est ac, vtrum Incarnatio in primo sui decreto habeat talem dependentiam à peccato, vt hoc deficiente nullum sit decretum, quod eam potest inferre; an verò sit? Vt si ego volo petere Valmaledam, & eligo equum: peterem mula, deficiente equo sine alia voluntate noua ad petendum, quamuis non sine electione diuersa.

§. 153. Secundò, asserit Lorca num. 35. posse etiam dici probabiliter, in primo decreto prædestinante Incarnationem connotari peccatum; adeò vt non esset Incarnatio, nisi peccatum esset futurum. Nec hoc decretum esse post, sed ante præuisum peccatum: quia integer finis, & obiectum adæquatum illius primi decreti fuit substantia Incarnationis cum omni gloria accidentali intrinseca & extrinseca, quam Christus habet ex munere Redemptoris: voluit ergo Deus Christum cum munere & gloria redemptoris, quod munus in executione pendet à peccato existente. Vnde volens Deus efficaciter redemptionem voluit virtualiter permissionem peccati. Explicatur exemplo electionis efficacis ad gloriam: quam fatentur Thomistæ esse in intentione ante præuisa merita: ex qua intentione sequitur certò electio gratiæ efficacis ad merita; quia adultis decreta est gloria vt corona, & premium, quæ sine meritis esse non potest; ita in prædestinanda Incarnatione.

§. 154. Hinc inferitur, Christum minimè venturum, nisi Adamo peccante. Colligitur à posteriori: quia licet Incarnatio sit decreta ante præuisum peccatum; tamen, si non esset ex eo decreto secutura permissio, non esset tale decretum; sicut non esset decretum de gloria vt corona, nisi merita forent secutura: deficiente enim medio unico, rectè inferitur defecturam intentionem finis ab eo vnice dependenti.

§. 155. Addit insuper Lorca, nostram salutem non esse finem intentum decreto Incarnationis, sed medium electum ad gloriam Christi. Redemptio potest considerari actiue, & passiuè: actiue sunt actus Christi, quos exercuit in pretium: passiuè est ipsa salus animæ, gratia, & gloria. Hæc passiuæ redemptio non fuit finis actiuæ, sed potius actiuæ passiuæ. Ideo enim Deus nobis contulit remissionem peccatorum, vt ipse Christus esset cum actionibus, & gloria redemptoris: nec voluit opera redemptionis, vt nos essemus redempti.

§. 156. Hæc sententia habet communem diffi-

cultatem, de permissione peccati ex fine penitentia. Quæ potest tripliciter tractari. Primum admittendo in Deo voluntatem de penitentia efficacem de se independentem à scientia media. Quam sententiam pluribus impugnaui in prædestinatione, probans Deum non solum voluturum absolute, & efficaciter materiale peccati, sed etiam formale.

§. 157. Secundò potest admitti voluntas prænitua penitentia & Incarnationis dependens à scientia media, qui sensus reddit opinionem mitiorem: quam tamen impugnaui ostendens prænitio adimit etiam libertatem actuum prænitiorum. Item, Deum electurum non solum materiale peccati, sed etiam formale, nec posse illi displicere peccatum vt peccatum: quia sub ea ratione est vnice necessarium ad effectum prænitium. quæ absurda latius in prædestinatione deduxi.

§. 158. Tertius modus est, Deum actu efficaci non velle Christi gloriam ex redemptione; bene tamen simplici complacentia, ex qua mouetur ad non repellenda impedimenta peccati. Quam sententiam ibi etiam impugnaui: quia simplex complacentia etiam mouet ad media necessaria: inter quæ vnicum est peccatum: tum quia, esto Deus non eligeret directè media, aut condiciones necessarias ad illum effectum; at certè gauderet de earum existentia, nec potest in illis displicere.

§. 159. His igitur prætermisissis, quia communia sunt, impugno quæ priuatiua sunt Lorca. Primum, quia ipse obiectum formale primi decreti constituit esse Incarnationem cum omni gloria accidentaria ex munere redemptionis. Deinde hæc obiecta distinguens, ait, considerari debere substantiam Incarnationis, quæ est vnio hypostatica; ex alia parte debere considerari operationes hominis Dei, ait hæc esse mutuo finem; quia Incarnatio secundum conceptum essentialem refertur ad redemptionem: redemptio autem includit operationes Christi, quæ referuntur ad substantiam Incarnationis, quo censet vitari circulum: quia non referuntur mutuo secundum eundem conceptum realem, sed diuersos. Hæc asserit disp. 10. n. 36; sine, vt ex eius verbis colligo: ait enim Incarnationem, quatenus est finis redemptionis, sumi substantialiter, id est, quatenus redemptio ad illam ordinatur: ad finem enim ordinantur media: at Incarnatio, vt ordinatur ad redemptionem, includit actus Christi, quo vitat circulum.

§. 160. Quia Lorca ibi non loquitur satis explicatè, oportet eum euoluere. Si redemptio sumitur actiue, vt dixi §. 155. pro actionibus & gloria Christi; non sunt ibi duo fines mutui, sed vnus adæquatus, constans ex fine cui, & qui. Finis cui est substantia Incarnationis: Christo enim Deus vult gloriam; est ergo finis cui eam vult: gloria autem ipsa est finis qui; est enim res, quæ per seipsum amatur Christo, vt homo est finis cui medicus amat sanitatem: sanitas autem ipsa est finis qui amatur. in ijs non est mutua relatio: quia finis cui non refertur ad finem qui, hic autem refertur ad illum. non enim amo hominem vt sit sanus: & quando hominem amo, illum volo sanum. de quibus finibus satis dixi vol. 1. disp. 13. de anima sect. 2. & vol. 2. disp. 97. & 98. ergo non est mutua relatio.

§. 161. Dices, non censeri à Lorca hos fines mutuo referti; nec redemptionem accipi actiue, sed

sed passivè pro nostra salute. Fateor id etiam colligi videri ex eodem num. 36. at sine consequentia: quia ipse n. 35. dixerat nostram salutem (quam voco redemptionem passivam) non fuisse volitam vt finem; sed præcisè vt medium amatum propter gloriam Christi. si ergo nostra salus est purè medium ad redemptionem actiuam, & gloriam; hæc autem sunt finis, quo pacto reperiuntur duos fines? & quæritur modus vitandi circulum duorum finium, cum non sit nisi vnus? Si ergo loquitur Loricæ de redemptione actiua, & gloria Christi, non referuntur mutuo: si verò loquitur de redemptione passiva, ipse non admittit duos fines; sed vnum finem, qui est Christus cum sua gloria, & actibus, & medium quod est nostra salus.

§. 162. Percurramus vtrumque sensum; & in vtroque circulum. Pone sermonem de redemptione actiua: substantia Incarnationis est per te ordinata ad redemptionem vt finem; redemptio autem ad substantiam Incarnationis: ergo secundum eandem rationem sunt mutui fines; quia redemptio præter substantiam non includit nisi opera Christi, inter quæ & substantiam est mutua relatio. Nec verò redemptio vt includit substantiam, refertur ad vnionem: quia referretur ad seipsam; sed opera ad vnionem, & ad opera vnio referuntur circulo.

§. 163. Si verò redemptio sumatur passivè pro nostra salute; est circulus idem: quia Incarnatio quoad substantiam est per te finis redemptionis, & redemptio est finis operum Christi, siue Incarnationis cum operibus. Sic arguetor: Per te, vt constat ex nu. 35. obiectum formale adæquatum primi decreti prædestinantis Christum, est vnio cum integrâ gloria accidentali ex redemptione. Item, per te nostra salus est finis Incarnationis, non secundum se solum, sed etiam cum operibus redemptoris: ergo nostra salus est finis totius obiecti formalis, quod terminauit primam voluntatem Dei: ergo idem obiectum, quod est finis nostræ salutis, est medium ad nostram salutem vt ad finem: ergo nostra salus, & Incarnatio cum illa gloria sunt mutui fines, & circulo peccatur.

§. 164. Confirmatur. Substantia Incarnationis nuda non potuit esse finis permissionis peccati: sed debuit esse finis substantia cum ipsa actuali reparatione: sed hæc eadem cum reparatione est per te medium ad nostram salutem: ergo admittitur circulus. Probo Maiorem: quia substantia Incarnationis præcisè à redemptione non habet connexionem cum peccato: quia tantum eam potest habere ad illud emendandum per Christum, aut puniendum. si peccati permissio influeret physice in vnionem hypostaticam, hæc quoad substantiam posset ab illo pendere: at non influit physice: moraliter autem quid potest influere nisi in ordine ad emendationem, aut vindictam? Sic omnes Sancti constituentes dependentiam hanc, eam admittunt in ordine ad reparationem.

§. 165. Præterea, non laudo emendatione peccati, & nostram salutem non esse finem redemptionis actiue, siue Incarnationis vt reparantis actiue hominem: quia sacræ Scripturæ & Patres conclamant Deum descendisse de cælis, & crucifixum propter nos, & nostram salutem; vt nos redimeret, vt saluum faceret quod perierat. Hæc autem aperte sonant, nostram salutem esse finem redem-

ptionis actiue: quis enim dixerit me velle salutem s. Thom. propter phlebotomiam, aut potionem? aut me 9. 2. art. 2. ideo velle sanum esse, vt potionem sumam? Est itaque nostra salus finis Incarnationis vt operantis redemptionem: item per te est Incarnatio cum redemptione actiua finis nostræ salutis: est ergo circulus.

SECTIO VII.

Sententia de ordine intentionis & executionis.

§. 166. Frequens est Theologis ordo intentionis & executionis, non solum ad soluendos nodos Incarnationis, sed magis præcipuè ad sphinginos de prædestinatione; quibus cum ordine intentionis & executionis se Oedipos cæsent; cæteros Daos. Quam difficultatem hic ad vnam, & à gemino disquiram ouo.

SUBSECTIO I.

Nonnulla præmitto de ordine intentionis & executionis.

§. 167. Multi imponunt Okamo, Gabrieli, & alijs negationem ordinis ratione nostra inter actus internos Dei: quia negant in obiectis realiter identificatis præcisiones obiectiuas: sed est impostura. eas præcisiones ego etiam nego, & admitto inter actus diuersos ordinem rationis, prioris, & posterioris: quia ad id non exiguntur formalitates obiectiue, sed tantum virtualis distinctio ex parte Dei, qui vno actu præstat quod nos pluribus: eumque actum confusè concipimus, vel per diuersa connotata, vel obiecta, vel effecta, itaque in vna formalitate obiectiua constituo ego eundem ordinem, quem ipsi in pluribus.

§. 168. Præmoneo intentionis & executionis ordinem posse concipi in actibus internis & externis; ita vt ordo intentionis sit series volitionum circa obiectum aliquod, ordo autem executionis sit series actionum externarum amata illis actibus. Vnde voluntas prædestinans homines est in Deo ordo intentionis; vocatio autem, iustificatio, &c. sunt ordo executionis: quia actus interni vocantur *intentiones*, eorumque facultates vocantur *potentia intentionales*; facultas autem operatiua ad extra vocatur *potentia executiua*, & eius actio dicitur *executio*.

§. 169. In quo sensu, quod est primum in intentione, est vltimum in executione: id est, quod primum amamus, qui est finis; vltimo facimus: quia prius sunt media, quibus assequimur finem, & quæ secundò amamus. Quod accipe de fine & medijs, quibus assequendus est finis: nam quando amamus finem, & propter illum amamus obiecta secundaria, à quibus est independens finis, tunc non valet adagium: quia media non pertinent ad executionem finis. ita contingit, quando amamus Deum, & proximum propter illum; & Deus amavit Christum, & nostros actus & gloriam in laudem Christi; Christus in executione non penderat à nobis.

§. 170. Alium ordinem intentionis & executionis

S. Thom.
2. 2. art. 3.

tionis alij constituunt inter ipsos actus voluntatis; ita ut una series illorum spectet ad ordinem intentionis, alia verò ad executionis: series intentionis est prior, quàm executionis, v. gr. vult Deus uno actu substantiam ignis efficaciter quidem; alio vult actionem eiusdem ignis productivam; alio vult locum; tandem vult applicationem. Inter hos actus est causalitas ratione nostra, & inter nostros est causalitas realis: quia finis est ignis ipse, qui obiectivè movet ad actionem; & hæc ad locum; hic verò ad applicationem.

§. 171. Hic ultimus actus, qui est ad applicationem, dicitur executivus: quia independenter ab alio posteriori movet potentiam externam. At applicatio iam agente & passivo, oritur alia series actuum executivorum: quia visa applicatione, oritur nova voluntas de actione producenda, & post hanc alia de ipso igne, siue visa applicatione, oritur una voluntas executiva de actione & igne: iuxta varias opiniones. Hæc omnes voluntates sunt executivæ; quia non pendent ab alijs posterioribus ad imperandum potentia factiva. Prima autem series fuit intentionalis: quia non potuit movere potentiam factivam sine dependentia ab alia voluntate posteriori. Hæc doctrina probabitur.

§. 172. Quia ignis non potest existere sine passiva sui productione, nec hæc sine nova voluntate: item actio non potest esse sine applicatione causalium, nec applicatio sine nova voluntate: ergo prima series actuum non potuit movere potentiam factivam sine alia voluntate posteriori. At verò voluntas applicans non pendet ab alia voluntate posteriori: quia applicatio iam supponit causas completas, quibus nihil aliud deest nisi applicatio. Item productio ignis sequitur ex applicatione; unde illa actio iam non pendet ab alio: posita autem actione, sequitur terminus necessarius. ob quod discrimen prima series voluntatum dicitur *intentio*, secunda verò dicitur *executio*.

§. 173. Inter quas est hoc discrimen; quod prima est in Deo ratione nostra quasi causa secunda: quia enim Deus voluit efficaciter ignem, voluit actionem, deinde locum, tandem applicationem. Quia verò causa sunt applicata ex illo fine; Deus producit actionem novo actu; deinde terminum. En omnes actus Dei pendent ratione nostra ab illo primo efficaci ignis amore. Deinde actus executivi oriuntur ratione nostra ordine inverso: quia visa applicatione oritur primum voluntas de actione, deinde de igne, quibus etiam convenit *primum in intentione esse ultimum in executione*: quia finis terminavit primum voluntatem intentionis; executivam autem terminavit ultimum.

§. 174. Vbi adverte, voluntatem de ultimo medio, siue de ultima conditione, non dividi in intentionem & executionem; sed esse executivam, nec esse plures, sed unam: nam si est voluntas de se efficax de applicatione v. gr. & hæc applicatio à nullo alio pendet, necesse est ut applicatio fiat per illam voluntatem efficacem. quo differt à prioribus voluntatibus, quæ non potuerunt sine alia posteriori movere potentiam; quia earum obiectum pendebat ab alijs rebus creatis amandis diverso actu: actio enim pendet ab applicatione, applicatio autem, siue ultima conditio, non pendet aliunde.

§. 175. Confirmatur, pone circa ultimam conditionem esse duos actus efficaces de se; alium in-

entionis, alium executionis. Executivus applicat potentiam: cur eam non applicat intentio? Uterque est de se efficax, uterque independens ab alio obiecto amando: cur secundus exequitur, primus verò non exequitur: in alijs actibus clara est ratio; quia dependet ab alio posteriori.

§. 176. Unde deduces, in mea opinione negante distinctionem realem in creaturis, & rationis in Deo inter intentionem finis, & electionem mediorum; hunc ordinem intentionis diversum ab executionis, non habere locum: quia intentio efficax de se est efficax electio omnium mediorum usque ad ultimam conditionem: ergo ut voluntas efficax de ultima conditione non dividitur in intentionem, & executionem: ita nec voluntas de fine. Quæ sunt certa. Demus ergo locum huic questioni in aliorum opinionibus.

§. 177. Hoc ordine intentionis & executionis variè utuntur varij, quos singillatim adducemus & impugnabimus: est enim questio hæc subtilis, gravis, & utilis mille occasionibus de Incarnatione, de merito, de prædestinatione, de voluntate Dei, &c.

SUBSECTIO II.

Sententia affirmans.

§. 178. **S**It hæc prima sententia. Deus voluit substantiam Incarnationis independenter à peccato; existente autem peccato voluit venire Christum: quem venire vellet, tamen si peccatum non existeret: quia in intentione potuit Incarnatio decerni absoluta à peccato; in executione verò potuit pendere, & non pendere à peccato. Quia intentionis executio potest esse in remedium peccati; & non esse. Intentio enim finis, quando suppetunt plura media, non pendet ab hoc in particulari, nec ab illo: ita intentio de Incarnatione non pendet ab emendatione peccati; quia non est ad Incarnationem medium unicum.

§. 179. Potuit autem ita contingere: Deus potuit intentione efficaci amare hoc obiectum ob sui gloriam & mysterij excellentiam: potuit alio actu amare hanc actionem ab hac femina; quia perageretur mysterium: sed antequam vellet applicationem corporis Virginei, atque Christiani, videret peccatum Adæ; & volens illud emendare, ex hoc affectu voluit applicationem, qua volita & prævisita voluit generationem Christi ex Maria: hac autem prævisita voluit Christum. En Christus secundum substantiam est amatus in executione in emendationem peccati, quo deficiente, adhuc Christus veniret; quia illa intentio efficax inferret aliam executionem.

§. 180. Ab hac opinione possunt adduci multi gravesque Doctores, tam nostri, quàm exteri: ita philosophari de electione efficaci ad gloriam ante merita prævisita, & de illius collatione post merita: in intentione autem fuit ante præscientiam meritorum; in executione autem post illam. Ut autem id probarent ratione, vsi sunt hac generali doctrina de ordine intentionis & executionis singulis in rebus. Hos adduxi in prædestinatione; qui & in hunc articulum sunt faciles vsi.

SVBSECTIO III.

Prima probatio ex S. Augustino.

§. 181. **P**rimùm probant auctoritate S. Augustini, cuius doctrina in electione ad gloriam, & tota materia de gratia deferri minimè potest. Augustinus ergo ita loquitur de electione ad gloriam, vt eius doctrina minimè possit componi nisi per distinctionem ordinis intentionis & executionis in ipsa voluntate Dei: quia docet perspicuè nos electos ad gloriam gratis omnino, sine nostris meritis. item, gloriam nobis donari propter merita, & ex iustitia; quod de eadem electione ad gloriam accipi non potest. est ergo duplex electio; altera in intentione, quæ est gratis, nec ex iustitia: altera in executione, quæ est ex iustitia, & propter merita.

§. 182. Cùm hoc argumento vterentur aduersarij publicis in disputationibus; eorum ego os oppilauit eiusdem auctoritate Augustini. Qui cùm in hanc quæstionem incidisset non semel, numquam est vsus eo ordine intentionis & executionis, nec de illo per somnium cogitauit; sed recurrit ad duas electiones ad gloriam, alteram formalem, alteram radicalem. Formalis est voluntas expressè, immediatè & efficaciter terminata ad gloriam; hanc constantissimè admittit vbique ex iustitia, & propter merita facta in gratia, & ex gratia per Christum. Altera est voluntas expressa & efficaciter terminata ad primam gratiam, per quam iusti & bene operantur, & sanctitatem acquirunt: hanc vocat electionem ad gratiam, & ad gloriam; quia in ea tamquam in radice continetur gloria. hanc constantissimè affirmat esse gratis, & sine meritis. Cùm igitur gloria dicitur nobis donari gratis, id explicat Augustinus de gloria in radice, & prima gratia, cum qua re ipsa connectitur gloria: quia datur nobis prima gratia efficax radix gloriæ. Cùm autem dicitur gloria dari ex iustitia & operibus, accipitur ab Augustino de gloria in se, & non in radice.

§. 183. Sunt autem hæc verba Augustini to. 7. lib. de Corrept. & gratia c. 13. *Verumtamen quia & ipsa vita æterna, quam certum est bonis operibus debitam reddi, à tanto Apostolo gratia Dei dicitur, cùm gratia non operibus reddatur, sed gratis detur, sine vlla dubitatione confidendum est, ideo gratiam vitam æternam vocari, quia his meritis redditur, quæ gratia contulit homini.* En Augustinus, cur vita æterna vocetur gratia, & non potius debita, cùm reddatur pro operibus? nõne hæc est quæstio Scholastica? cur Augustinus non recurrit ad vestrum ordinem intentionis & executionis, vt intentio sit gratis, executio verò ex operibus? si in Augustini sententia pes moueri non potest sine ordine isto intentionis & executionis; cur Augustinus tantum claudicauit, vt nec meminerit quidem, sed ad diuersas confugit voluntates, alteram de radice gloriæ, quæ est prima gratia efficax; alteram de gloria immediatè?

SVBSECTIO IV.

Secunda probatio à ratione.

§. 184. **S**ecundò mouentur: quia Deus in omnibus operibus ita mouetur. Respondeo, *Petr. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.*

id esse falsum: quia in angeli creatione id minimè *S. Thom. 2. 2. q. 3.* contingit: quia in multorum ex ipsis opinione angelus creatur sine actione ab ipso & Deo distincta. Vnde volens efficaciter angelum, eodem actu illum exequitur. Nec in decernendis pro peccato pœnisis ita mouetur, quia eas non potuit efficaciter amare ante præuisum peccatum: ergo iste ordo non est Deo vniuersalis.

§. 185. Tertio mouentur: quia intentio efficax antecedit scientiam visionis de medijs existentibus: executio autem pendet ab ea scientia: ergo sunt distinctæ voluntates. Nego antecedentis secundam partem, de quo agendum latè subsect. sequ. cùm eam sententiam impugnem.

SVBSECTIO V.

Impugnatur ordo hic intentionis & executionis.

§. 186. **H**unc ordinem intentionis & executionis multi sunt exosi, & merito: in quem arguendum, probando non distingui in nobis realiter, nec ratione in Deo, intentionem finis, & electionem mediorum, quod præstabo à §. 239. impugnans eam distinctionem inter amorem efficacem de termino, & eius productione. Deinde arguètor: Tres primi actus efficaces, quibus Deus vult ignem, eius productionem, & applicationem, quos proposui §. 170. simul sumpti sunt intentio & executio ignis: ergo non sunt alij executiui distincti circa ea tria obiecta, nec circa aliquod ex illis. Consequentia non eget probatione: antecedens accipio de omnibus medijs, & conditionibus antecedenter requisitis ad producendum ignem, quæ omnia nomine trium illarum rerum amplector. Probo igitur antecedens: actus executiuus efficax est ille, qui iam à nullo subsequenti dependet ad mouendam potentiam exequentem; sed illi tres simul sumpti à nullo alio subsequenti pendent ad mouendam potentiam exequentem: ergo illi sunt executiui efficaces.

§. 187. Maior propositio præmissa est §. 171. quæ probo: Quando actus est efficax, & nõ pendet ab alio posteriori, si potentia illi sit plenè subiecta, nihil est quod oblit quo minùs illam moueat: quia cùm plenè obediat, si iam sunt efficaciter volita omnia necessaria ad exequendum, exequitur necessariò: alioquin iam deest aliqua noua voluntas, & obiectum aliquod amandum: sin minùs, quid aget nouus actus efficax?

§. 188. Explicatur ab actibus prioribus: voluntas efficax de igne non potuit illum producere sola absque nouo actu: quia ignis esse non potest absque actione, nec hæc absque nouo actu Dei. Hi duo non possunt soli exercere actionem & ignem: qui esse non possunt absque applicatione eorum, nec hæc absque actu alio Dei. Hic actus se solo potest exequi applicationem: quia hæc non pendet ab alia creatura, quæ amanda sit vterius à Deo. En vnus actus se solo exequitur applicationem: quia iam non est aliud obiectum necessariò amandum. Vnde concludo, illos esse actus efficaces, qui non pendent ab alio ad mouendam potentiam. Ob quod post actus executiuos non admittuntur alij influentes in effectum: quia exequentes non pendent

S. Thom.
q. 1. a. 3.

dent ab alijs in mouenda potentia. Stat ergo maior propositio in §. 187. illos esse actus exequentes efficaces, qui à nullo alio posteriori pendent ad mouendam potentiam exequentem.

§. 189. Probo nunc Minorem, nempe eos tres actus non pendere ab alijs ad-mouendam potentiam: quia per illos sunt efficaciter volita omnia, à quibus pendet ignis: quia sunt amata finis, media, & conditiones antecedentes. Quod probo. quia voluntas de applicatione non pendet ab alia voluntate, nec ab alio obiecto. quod ipsi fatentur, & ego probaui §. 172. & 187. quia est vltimum requiritum: applicatione autem existente, voluntas circa actionem non pendet ab alio actu ad eam faciendam. Quia ad actionem ex parte obiecti iam præexistit prius natura applicatio; ex parte Dei præit omnipotentia, & voluntas efficax de actione: quia prius ratione quam existeret applicatio, voluit Deus efficaciter actionem; cur ergo ea voluntas non exequitur illam? Antequam amaretur applicatio, non poterat voluntas de actione applicare potentiam ad illam: quia voluntas efficax pendet ab applicatione in actuali exercitio; at posita applicatione iam ponitur id, à quo pendebat: ergo non pendet aliunde ad mouendum actu potentiam ad actionem.

§. 190. Rem explico. Voluntas de actione non pendet in amando obiecto à voluntate de applicatione: quia hæc est ratione posterior, nec pendet in habenda virtute efficaci ad obiectum: vt calor non pendet ab applicatione sui in habenda virtute calefactiua: quia applicatio caloris ad passum est posterior natura quam virtus calefactiua caloris. At verò in mouendo actu potentiam, pendet voluntas de actione à voluntate de applicatione, sicut calor in calefaciendo actu pendet ab applicatione: quia calor producendus dependet ab ea: ergò sicut calor posita applicatione, non eget noua virtute ad calefaciendum actu; sed calefacit necessariò: ita voluntas de actione posita voluntate de applicatione, non eget noua voluntate circa actionem; sed seipsa operabitur. Quæ videntur certa.

§. 191. Confirmatur. Actus efficax volens omnes circumstantias determinatè non eget alio actu, vt potentia exequatur imperata: sed illi tres actus volunt efficaciter omnes circumstantias determinatas: ergo non eget alio actu ad mouendam potentiam. Maior est per se nota: quia potentia expedita obedit actui efficaci, quando imperat omnia necessaria ad effectum. vnde si Deus vno actu indiuisibili ratione, vellet efficaciter angelum, an potentia creatrix non obediret? Minor probatur, quia illi tres actus amant efficaciter ignem productum, applicationem, & omnia quæ exiguntur ad ignem producendum.

§. 192. Dicunt: actus illos priores de igne, & eius productione, non posse mouere immediatè potentiam; quia prius quam hæc exeat in actione, opus est vt Deus videat applicationem iam existentem: quia ab illa pendet actio, quam Deus liberè exercet: at prior actus non spectat eam visionem: ergo requiruntur alij. Probo antecedens: Primum, quia Deus liberè vult exerceri actionem post visionem. Secundò, quia temere censeretur voluntas mouere potentiam ad actionem, nisi prævideretur applicatio.

§. 193. Contra: Quia actus non pendet omnes ab ea visione: quia voluntas executiua circa ignem non est posterior ratione, quam voluntas executiua circa productionem: quia actio non est ratione prior termino, nec potest videri, quin terminus simul videatur: ergo aliquæ voluntates sunt independentes à scientia visionis de alijs obiectis: ergo voluntas circa actionem erit independens à visione de applicatione. Probo consequentiam, quia omnia argumenta infringuntur; etiam Deus non vult noua libertate terminum post actionem: cur autem velit actionem post applicationem? nec temere ducitur voluntas circa ignem, licet nõ præcurrat visio de productione, vt iam probo.

§. 194. Deinde impugnatur apertè: productio ignis nõ pendet à scientia visionis de applicatione: ergo non est necessaria noua voluntas. Probo antecedens, quia productio ignis non oritur ab applicatione vt à causa morali, quæ mouet per cognitionem; sed vt à causa physica habente naturalem connexionem cum effectu: nec item ad libertatem Dei exigitur ea scientia, aut voluntas noua. Quia licet Deus sine ijs producat ignem, producit illum liberrimè; quia liberè producit, quidquid producit actu libero: sed ignis illo actu produceretur actu libero, quia ille actus liber est Deo: ergo produceretur liberè; noua autem libertas quorsum exigitur? nõne satis est, vt effectus sit liber? cur opus erit, vt sit liber à duobus actibus?

§. 195. Nec item est temerarius ille conatus: quia omnia eueniunt ex summa Dei prouidentia, qui simplici intelligentia comprehendit eum esse ordinem naturalem producendi ignem: quia ex intentione ignis efficaci emanat intentio efficax de productione: ex hac autem intentione oritur efficax intentio de applicatione: ex qua sequitur infallibiliter applicatio, ex applicatione productio, ex productione ignis, idque voluit eo ordine. Vidit ergo voluntatem de productione habituram effectum positam voluntate de applicatione: eum ergo decreuit eos tres actus, decreuit liberè & prouidè totum effectum.

§. 196. Ne verò sit æquiuocatio: *Deus vult productionem ignis post applicationem*. duplex sensus est huic propositioni. Alter, post applicationem concipit voluntatem nouam de productione, ita vt voluntas sit posterior applicatione. hic est falsus, quia non est opus. Alter, ante applicationem concipit voluntatem, vt sit productio post applicationem. hic est verus, vbi sola productio est post applicationem, & ita est amata: quia amata est, vt petit existere. at omnis voluntas fuit ante applicationem. Aliqui dicunt hæc admitti ordinem intentionis & executionis distinctum: quia amor in ignem est intentio, amor in applicationem executio. Respondeo, cum ijs nunc esse quæstionem de sola voce. Quia ego probo ibi non esse quinque actus, duos intendentes, & tres exequentes: sed tantum volo esse tres solos actus intendentes simul & exequentes. quod seipsa fatentur auctores huius obiecti.

§. 197. Dices Secundò: Deus in prædestinatione vult efficaciter gloriam ante merita præuisa: in executione autem expectat præuisionem meritum: ergo & in Incarnatione, & alijs rebus. Respondeo mala causæ patrociniū non melius. Quam-

Quamvis hos actus efficaces admitterem in obiectis sine nostra libertate assequendis à Deo, id minime facerem in gloria, aut quouis alio obiecto obtinendo per nostras actiones liberas: cum quibus pugnare decreta Dei antecedentia & efficacia de se. satis efficaciter aperui in prædestinatione: & illam opinionem parum habere præiudicii, auctoritatis, aut rationis, à qua vindicavi S. Thomam. De decretis autem efficacibus cum dependentia à scientia media est opinio moderatior, nec rationi, nec Patribus tam auersa. Quam tamen satis firmis argumentis impugnaui.

§.198. Esto tamen aliqua ex illis admittatur; nego tamen consequentiam: quia gloria amaretur tunc à Deo ut corona: cuius amor non habet omnia requisita sine visione absoluta meritum; quia corona ut corona pendet à meritis. hæc autem mouent ut visa existere absolute: quia mouent immediate voluntatem Dei, cui necessaria est præcognitio: ceteri autem effectus non mouent immediate voluntatem, sed tantum sunt conditiones physice & necessariæ, vt posita vnâ sequatur alia immediate, & ex hac sequatur alia: naturali igitur connexionione causant, non morali bonitate. imò censēbit aliquis, nec actum de gloria sub conditione præmij mutari; sed eundem omnino esse, qui fuit conditionatus ante scientiam, & redditur post eam absolutus: vt constat ex §. 108. ad 138. & constabit apertius à §. 318.

SVBSECTIO VI.

Alia eiusdem opinionis impugnatio.

§.199. Quamvis admittamus eum ordinem intentionis & executionis inter ipsos voluntatis actus, probandum est non posse componi Incarnationem decerni quoad substantiam independentem à peccato, & postea eam amari quoad substantiam propter emendationem peccati: ordo enim describitur §. 179. non probat executiuos actus esse propter peccati remedium. Quia actus executiuus oriuntur ab intentione efficaci, ita vt vtrorumque sit idem formale obiectum: sed in ea serie non est idem obiectum formale intentionis & executionis: ergo non pertinet ad eundem ordinem. Maior probatur: tum exemplo: si Deus voluit efficaciter Incarnationem propter eius excellentiam, & gloriam suam; illa intentio infert efficaciter voluntatem de productione Incarnationis. quæ voluntas quia oritur à prima, est de eodem obiecto formali: ex ea oritur voluntas de applicatione, quæ habet pro obiecto formali idem, quod Incarnationis voluntas: quia tota series mediorum habet pro obiecto formali id, quod finis, ad quem eliguntur. Deinde visâ applicatione oritur executiuus voluntas de productione; deinde alia de Incarnatione. hæc duæ voluntates sunt de excellentia mysterij tamquam de obiecto formali, vt patet. & probatur, quia deriuantur ex prima intentione efficaci.

§.200. At verò §.179. tertia voluntas, quæ est de applicatione, habet aliud obiectum formale, nempe emendationem peccati: ergo pertinet ad aliam seriem diuersæ virtutis, nempe misericordiæ in homines, iustitiæ in Deum, vel quid simile: cum autem sit executiuus, oritur necessariò ex alio or-

Res. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

dine intentionis efficaci. Vnde iam non agitur de eodem ordine intentionis & executionis; sed relabimur in duos actus efficaces adæquatos: & Incarnatio quoad intentionem & executionem oritur independentem à peccato per vnâ seriem; per aliam autem oritur adæquate cum dependentia à peccato. de qua sententia duorum actuum adæquatorum agitur latè à §.266.

§.201. Concludo igitur Primum, hunc ordinem intentionis & executionis esse impossibilem. Secundò, eo admissò non posse componi in vnâ serie intentionum & executionum; vt Christi Incarnatio decernatur in intentione independentem à peccato, & in executione dependentem; sed necessarias esse duas actuum series duarum intentionum, & executionum duarum.

§.202. Obijcis, in prædestinatione ita contingere, vt Deus ante merita decernat efficaciter gloriam, quam exequitur per merita. Respondeo, eam electionem à me sæpè impugnatam; eâ tamen admittâ non est consequentia ad Incarnationem: quia gloria intenditur efficaciter vt corona, iam que dicit relationem ad merita; deinde executio est per merita. semper igitur merita fuere respectu tam ordine intentionis, quam executionis: in intentione, vt fierent & existerent; in executione verò, quia existunt. At Incarnatio non fuit decreta, in hac opinione, in emendationem peccati, sed ob excellentiam mysterij.

§.203. Obijcis, his probari hos tres actus esse simul intendentes & exequentes: quia intentio fuit efficax de se. demus autem decretum Dei conditionatum de introductione ignis in subiectum, si illud videat dispositum: hic actus non est executiuus: quia non applicat omnipotentiam ad media, nec absolute media ad finem. deinde velit Deus disponere subiectum, illud que videat iam dispositum; tunc ignem inducit. hæc vltima voluntas est executiuus: ergo possunt esse actus exequentes distincti ab intentionibus.

§.204. Respondeo, decretum illud posse concipi conditionatum, ita vt conditio pendeat à solo Deo, tunc est impossibile tale decretum: quia Deus non potest velle aliquid sub conditione pendente ab ipso solo, vt dixi disputans de scientia media. Considerari item potest sub conditione pendente ab arbitrio creato: tunc respondeo illum actum esse efficacem sub conditione; quæ præuisâ transit in absolutum. At hæc non constituunt diuersum ordinem intentionis & executionis: qui enim admittunt actus distinctos in finem & media, negant duas actuum series: vt P. Vasquez admittit simplicem Dei affectum in gloriam, & voluntatem preparandi media ratione nostra distinctam ab illo simplici affectu: nec tamen dicit esse in Deo actus intendentes distinctos ab exequentibus. Quod clariùs patet in pœna reprobatorum, quam Deus sub conditione voluit. Impugno igitur duas actuum series circa idem obiectum, efficacem vtramque, & quarum prima concipiatur ante præuisam medij vltimi applicationem, secunda verò post applicationem, vt in exemplo proposito §.179. & quod frequenter dicitur de gloria in intentione & executione: actus autem distinctos circa finem & medium, quorum alter sit quasi radix aliorum, adhuc non impugno: nec cupio me morari in quæstione de voce.

SECTIO VIII.

De ordine intentionis & executionis per
actus confusos diuinæ voluntatis.

§. 205. **Q**uia iste ordo intentionis & executionis per circumstantias in particulari displicere merito potest; confugi videtur posse ad aliud genus actuum confusorum, quos examinandos suscipio.

SUBSECTIO I.

Proponitur quadam opinio.

§. 206. **O**rdo intentionis & executionis explicari videtur hoc pacto. Possumus opinari, Deum actu quodam confuso, seu indeterminate, velle aliquam personam diuinam assumere naturam intellectualem creatam; quæ voluntas præscindat à singulis personis in particulari, & à natura humana, & angelica. Deinde præciso peccato Adami potuit in eius emendationem velle in particulari, vt persona Verbi assumeret hanc numero humanitatem. hæc autem voluntas est executiua: quia seipsa applicat omnipotentiam ad opus. prior autem illa confusa est intentio: quia seipsa non potest applicare potentiam: quæ non applicatur, nisi ad effectum in singulari, qui eo actu non intelligitur amarus.

SUBSECTIO II.

In intellectu Dei non est actus præcisus.

§. 207. **N**E in ea opinione impugnanda vagemur, examino vtrum intellectus Dei possit concipere in obiecto vnam formalitatem, quin eodem actu concipiat aliam: siue, vtrum possit ille actus penetrare vnam formalitatem, quin aliam penetret? ita vt Deo sit præcisio rationis ex parte obiecti in sententia constituyente duas formalitates obiectiuas; siue ex parte actus dumtaxat, in opinione qua ego toties negavi eas formalitates obiectiuas.

§. 208. Existimo repugnare Deo aliquem actum intellectus, qui præscindat obiectum; sed omnis cognitio Dei penetrat adæquatè suum obiectum; nec habet circa illud duos actus ratione nostra distinctos, quorum alter attingat rationem communem, alter particularem: sed id fieri vno actu indistincto ratione nostra. Quæ conclusio est Augustini rom. 2. epist. 115. ante finem; vbi in hac difficultate tractanda videtur esse, ait, magna questio; sed mihi videtur, quod ad hominem faciendum attinet; hominis quidem tantum, non meam, vel tuam ibi esse rationem: id est; ad faciendum vnum hominem non esse ideam alterius, sed de quoquo suam. subijcit enim: *Itaque quilibet homo vna ratione, qua homo intelligitur, factus est: at vt populus fiat, quamuis & ipsa vna ratio est, non tamen hominis ratio, sed hominum: si ergo pars huius vniuersi est Nebridius, sicut est, & omne vniuersum partibus constat; non potuit vniuersi conditor Deus partium rationem non habere.* Vbi Augustinus vnam realiter constituit ideam; ratione verò multas circa vniuersum,

propter realem inter eius partes distinctionem, ac circa singulas partes non admittit duas etiam ratione nostra.

§. 209. Probatur. nulla cognitio perfecta sine imperfectione est præscindens: sed omnis cognitio Dei est sine imperfectione: ergo nulla cognitio Dei est præscindens. Minor est certa fide & ratione. Maior probatur: omnis cognitio perfecta sine imperfectione penetrat totum suum obiectum, ita vt nihil obiecti eam lateat, sed clarè totum illud iudicet: at hoc pugnat cum præcisione, quæ non penetrat totum obiectum, nec illud iudicat: sed confusè illud attingit & obscure: ergo: Confirmatur. cognitio, qua ego cognosco hominem præcisum à Petreitate, indicat obiectum esse hominem, & ignorat, an sit Petrus, cum verè sit: at hæc est maxima imperfectio: ergo non est Deo eiusmodi cognitio.

§. 210. Huic argumento responderi potest, actum absolute confusum esse imperfectum, qualis est creatus qui distinguit realiter ab actibus claris circa idem obiectum: at actus Dei non est absolute confusus, sed absolute clarus: quia est idem realiter cum actu claro penetrante idem obiectum. Confirmatur Primò, exemplo virtutum moralium: omnis actus voluntatis amans creaturam propter ipsam, & non propter Deum, est imperfectus; quia non amat creaturam, vt debet: at in Deo non ita contingit: quia actus amans creaturas propter ipsas, easdem realiter amat propter Deum: quia est idem realiter cum alio amore eas ita diligente. Confirmatur Secundò: quia multos actus admittimus in Deo confusos circa suum obiectum: quia scientia creaturarum vt existèrium cognoscit creaturas immediate, & per illas seipsum, quæ cognitio non penetrat Trinitatem: idem dico de cognitione possibilem in ipsis.

§. 211. Multi abutuntur hac reali identitate actuum diuersorum: ob quam illis multas imperfectiones appingunt. Dicere possent Deo non repugnare actum probabilem verum ex medio probabili: quia actus probabilis est imperfectus, quando habet realem distinctionem à certo circa idem obiectum; quando verò certus & probabilis sunt idem, probabilis non est imperfectus; quia habet realiter perfectionem actus certi. Item potest Deus sine imperfectione apprehendere obiectum per vnum actum, quin de illo iudicet; quia est idem realiter cum iudicio de eodem obiecto: simplex autem apprehensio est imperfecta, quando realiter non est iudicium. Item Deus potest amare lapidem propter ipsum: quia in nobis esset imperfectio; quia illo actu Deus non amaretur realiter: at Deus eo se amat: ergo illa realis identitas nihil iuvat ad actum præcisum, imò non erit præcisus; quia realiter est clarus & adæquatus: sicut per te non est confusus, quia realiter est clarus. Hæc autem absurda clarè deduco.

§. 212. Ratio à priori. quia licet ille actus Dei est realiter vnus; at ille vnus fungitur munere multorum perfectorum sine imperfectione. Considera ergo vtrum obiectum sit per se amabile, aut modus tendendi sit de se perfectus: si enim actus creatus, eò quòd sit de tali obiecto, habet moralem imperfectionem, aut ex modo tendendi præscindendo sit obscurus; repugnabit Deo amor illius obiecti propter ipsam, & ille modus tendendi.

§. 213. Est autem optimum argumentum considerare actus Dei separatos quoad denominationem, ut actus nostri considerantur separati quoad entitatem: actus Dei separatus ab alio, esset imperfectus, si aut amaret creaturam propter ipsam adæquatè, aut præcinderet obiectum, quia realiter haberet denominationem imperfectam. Idem dico quando non separantur: quia non separatio est per accidens ad hoc genus perfectionis; quamuis ad alias est per se ad perfectionem. de quo latè egi vol. 2. disp. 121. à §. 75.

§. 214. Hinc patet ad argumentum ex §. 210. Ad primam confirmationem respondeo, non posse à Deo vllis actibus amari creaturam propter ipsam adæquatè; sed amari propter ipsam, & propter ipsum vno actu, inseparabili quoad denominationem: qui licet habeat duas formalitates, constituunt vnam realiter denominationem. quod non contingeret, si essent duo actus ratione nostra distincti. de quo egi loco allegato in fine §. præcedentis.

§. 215. Secunda confirmatio latam vendicat quætionem. Nonnulli censent Deum posse cognosci à seipso in creaturis, non tamen ex creaturis. Cognosci in creaturis est eodem actu cognoscere creaturam in ipsa ut obiectum formale, Deum verò ut materiale & secundarium: quia tunc obiectum per se intentum est creatura; Deus verò ut terminus ordinis transcendentis creaturæ ad ipsum. quod obiectum cognoscitur sine præcisione: at verò Deus non cognoscitur nisi ut terminus illius formaliter: terminat autem ut vnus, non verò ut trinus; nec est incommodum obiectum secundarium præcindi; quia creator per obiectum creatum non est magis cognoscibilis. Cognoscitur autem Deus ex creaturis: quia verò diuersis nostra ratione actibus tendit in creaturam, ut obiectum primum, in se ut secundarium; hic modus repugnat Deo, quia actus ad ipsum habet ipsum pro obiecto primò intento: quod præcinderet à Trinitate, est que imperfectio.

§. 216. Duo proba. Alterum, æquè pugnare cognosci Deum in creaturis: alterum, non pugnare eum ex creaturis cognosci. Primum proba: quia actus ille est obscurus circa obiectum, quod verè repræsentat: ergo est imperfectus. Consequentia est per se nota: quia obscuritas est imperfectio; claritas autem perfectio: illa tenebris, luci comparatur hæc: nec actus obscurus potest discernere obiectum. Antecedens proba: quia ille actus cum attingat materialiter Trinitatem, non diiudicat an sit Trinitas: ut actus de animali non diiudicat, an sit rationale: ob quod est obscurus.

§. 217. Dices, Deum illo actu cognosci quantum cognoscibilis est in alio. Contra: Et alio actu cognosceretur, quantum est ex alio cognoscibilis: & tamen illum negas: ergo, quia ex hoc genere cognitionis sequitur, obiectum quantum est in alio cognoscibile cognosci imperfectè; ideo est neganda Deo ea cognitio.

§. 218. Secundum iam probaui: quia actus ille circa Deum ex creatura, attingit Deum, quantum est ex alio attingibilis, ut ille actus in creaturis eum in suo genere attingat. item obiectum primum cognoscitur sine præcisione; Deus autem illo secundo actu non cognoscitur nisi ut principium creaturæ, & terminus relationis creatæ ad ipsum:

Pet. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars 1.

& licet ille terminetur ad solum Deum, at deriuatur ex creatura ut ab obiecto. quod autem per se intenditur ea serie actuum, est obiectum primum: secundarium verò nullo actu intenditur per se, sed secundariò, ut pertinet ad exactam cognitionem primarij.

§. 219. Duplici ratione respondeo ad secundam confirmationem ex §. 210. Primùm negando Deum in creaturis, aut ex creaturis cognosci: illas quidem cognoscit ex se ipso, aut in se ipso, ita ut prima cognitio Dei, & quæ ratione nostra est prima origo cæterarum, sit cognitio intuitiua sui: ex hac oritur cognitio de creaturis: ipsæ item cognoscuntur in proprio genere. At hæc cognitio illarum in proprio genere, non infert cognitionem Dei nouam, nec ipsa Deum attingit: quia cognitio Dei supponitur ut ratione nostra principium illius: quando verò supponitur talis cognitio, non infertur ex cognitione obiecti secundarij alia cognitio primarij. Ex.gr. ex rationalitate sequitur cognitio de risu: hæc non infert aliam de rationalitate dum prima durat. Deus ergo creaturam cognoscens in se cognoscit eam esse, quam in se ipso cognouerat: nec supra se reflectitur: ordo autem transcendentis ducit in terminum, quando non durat cognitio intuitiua termini ex qua oritur. ut patet in exemplo adducto de risu.

§. 220. Secundò respondeo, Deum nulla sui cognitione præcindi ab vllò prædicato necessario: quia licet ex vi creaturæ non sit Trinitas cognoscibilis, est tamen cognoscibilis ex vi modi infiniti: ducit ergo creatura intellectum Dei in cognitionem de ipsius omnipotentia: intellectus autem talis est, ut attingens obiectum illud attingat absque imperfectione. Vnde cognitio de Trinitate non tam adscribitur creaturæ ut obiecto, quàm modo tendendi intellectus diuini. Tandem dici potest, omnem actum Dei terminatum ad creaturam ut formale obiectum, terminari ad Deum etiam ut obiectum formale: ut de amore creaturarum dixi. Ob quod, ut nullus amor est, quin sit Dei formaliter, ita nec cognitio vlla. vide volum. 2. disp. 121. quæ hic vellicantur, non e-ruuntur.

SVBSECTIO III.

Dei voluntas nihil amat confusè.

§. 221. Hinc infertur, voluntatem Dei nullum actum exercere posse circa rationes communes præcisas à singularibus; sed eius omnes actus ferri necessario in indiuidua singularia. Quia nulla voluntas potest amare obiectum quod non cognoscit: sed Dei voluntas non cognoscit solas rationes communes præcisas à singularibus; sed quidquid cognoscit, cognoscit in singulari: ergo nihil amat nisi in singulari.

§. 222. Obijcis Primùm: Actio, qua Deus concurret ad materiale peccati, est præcisua: attingit enim actum malum secundum rationem communem entis; non verò secundum differentiam talis entis: ergo voluntas Dei amat illam rationem entis non amando differentiam: quia eo modo, quo actus peccati oritur à Deo, amatur ab ipso Deo. Respondeo Primùm, antecedens esse falsum: nec enim actio physica potest esse præcisua; quia præ-

S. Thom.
2. 1. 4. 3.

cifio est ab intellectu, alijsq; de causis, de quibus egi pluribus in locis de peccatis, de prædestinatione, & alijs. Secundò, in sententia Durandi, Aureoli, quam Magister, Bonaventura, & Gregorius censent probabilem, non est locus huic quæstioni: quia in ea opinione Deus non concurrit immediatè ad materiale peccati, ac proinde nec illud vult; sed tantùm vult id non impedire, de qua opinione egi disputans de peccatis, & disp. 10. Phisic. sect. 3. Tertio, admissio influxu immediato præcisivo adhuc Deus non amat rationem entis vt sic; sed cognoscens actionem, & eius terminum, quin præcindat vnã formalitatem ab alia, amat illum terminum non absolutè, sed secundùm quid, cum inuoluntario admixto, itaque circa actionem totam, cuiusque terminum totum est Deus aliqua ratione quasi inuitus, de quo egi in prædestinatione. & vt Deus cognoscit nostros actus præcisivos, imò & chimericos, quin ipse cognoscat formalitates obiectiuas distinctas, nec faciat chimeram; ita cognoscit productionem physicam præcisivam, quin ipse præcindat intellectu aut voluntate.

§. 223. Obijcis Secundò: Deus sæpè vult obiecta confusè: ergo abstrahit voluntate. Probo antecedens: quia dixit apud Mosem, vt ei offerretur par turturum, aut pulli columbarum. Respondeo negatò antecedenti. Ad probationem, inde patet nihil amari à Deo confusè: quia eius amor expressè amavit aut turtures, aut columbas: vtrumque attingit amore non copulatiuè, sed diuisiuè. Quod explico hac hypothèsi: *Si non obtuleris turtures, offero columbas; aut turtures, si non obtuleris columbas.* Itaque Deus minimè attingit voluntate rationem communem turturibus atque columbis; sed alterum è duobus. Deus ergo æquè sibi complacuit in vtroque, neutrumque prætulit alteri: quolibet oblato satisfit eius voluntati, quæ non exigit vnum, si aliud offeratur.

SUBSECTIO IV.

Vtrum Deus amet aliquid indeterminatè?

§. 224. **Q**uamuis Deus nihil amet vagè, seu confusè, possumus quærere vtrum indeterminatè velit obiecta, ita vt eius actus sit, *Volo hoc aut illud fieri*: quo actu certum est alterum è duobus faciendum; nec omittendum vtrumque: neutrum autem fiet sine nouo actu, quo Deus velit determinatè hoc fieri.

§. 225. Dico Primò: Actu efficaci & absoluto Deus nihil potest amare indeterminatè. Probat, quia actus ille esset imperfectus: ergo. Probo antecedens, quia circa suum obiectum egeret alio actu efficaci vt existeret: ergo esset imperfectus. Antecedens est certum: quia Dei voluntas adhuc esset indifferens ad hoc obiectum, nec posset potentia exequens determinari nisi per alium actum. Consequentia probatur. Ille actus efficax est imperfectus, qui ad suum obiectum eget alio, quia ex defectu suo non potest mouere potentiam. Confirmatur actu scientiæ: illa est imperfecta, quæ non penetrat totum suum obiectum, sed eget alio actu.

§. 226. Dices: Ordo intentionis non est imper-

fectus, quamuis eget ordine executionis. Contrà, iam impugnaui eum ordinem, distinctione actus considerandi sunt in suo genere: in genere intentionis actus illi sunt sufficientes, nec egent alijs; ij autem quibus egent, sunt in ordine executionis, quorum illi sunt quasi adæquata causa: at decretum illud efficax indeterminatum nec potest se solo in ordine intentionis mouere ad executionem; nec ex illo solo determinabitur potentia factiua, nec orietur ordo executionis: ergo est actus imperfectus.

§. 227. Dices Secundò: Deus habet multos actus, qui se solis non possunt mouere potentiam. Distinguo: actus absolutos & efficaces, nego: conditionatos & inefficaces, concedo: illi enim nõ sunt imperfecti: quia conditionatus positã conditione infert absolutos: simplex autem complacentia, quæ non est desiderium, est de obiecto secundùm se: omne autem desiderium Dei est efficax aut absolutè, aut posita conditione.

§. 228. Secunda probatio est: quia ille modus volendi indeterminatè semper oritur à cognitione imperfecta de conuenientia mediõrum, & finis: qui autem omnia habet explorata, vno actu fertur in singularia.

§. 229. Dico Secundò: Actu inefficaci Deus nihil potest velle indeterminatè, sed omnia determinatè. Nonnulla obiecta sunt faciendã sine libertate causæ secundæ, nec vt à conditione: alia pendent aliqua ratione à nostra libertate. Hæc potest Deus velle conditionatè, v.g. dare gloriam si homo perseueret in gratia, & pœnam si decedat in peccato, nasci Bethlehem si David id mereatur; aut alio in loco, si non mereatur, vt latius dicam. Atque ab ipso solo tunc liberè faciendã non possent amari nisi in singulari: quia tota ratio, ob quam postea sunt in singulari amanda obiecta, est Deo præstò: quo dicitur actus absoluti à conditionatis. Ratio enim, ob quam ij spectant, est conditio, quæ pro illo priori non præuidetur. Posset obijci, Deum velle in lege turtures aut columbas. Respondeo ex §. 223. vtrumque amari in singulari ex suppositione quòd offeratur; neutrum tamen præferri, sed optionem dari Iudæo, vt offerat quod libuerit.

SUBSECTIO V.

Nec hæc sententia essequitur propositum.

§. 230. **Q**uamuis hos actus admittam, illa sententia minimè essequitur propositum: quia ex vi illius decreti quamuis naturam intellectualem esset adsumptura aliqua persona diuina: at non hæc, nec hanc naturam: quia decretum illud vagum esset indifferens ad tres personas, & omnes naturas. Hic autem quæratur vtrum ex vi eiusdem decreti possit Verbum ita fieri homo, vt eius substantia decreta sit in emendationem peccati: decernenda, tametsi peccatum non existeret.

SECTIO

SECTIO IX.

Nova sententia.

SUBSECTIO I.

Proponitur.

§. 231. **P**osset quis opinari, hæc omnia de ordine intentionis & executionis posse componi: quia Deus ex se potuit efficaciter amare substantiam Incarnationis: ut diceret, Ego volo Verbum assumere hanc numero humanitatem. qui actus non terminatur ad productionem humanitatis, nec ad aliqua accidentia posteriora; sed præcisè ad substantiam huius humanitatis, & vnionis ad Verbum, & accidentia necessaria ad corpus humanum.

§. 232. De actione nihil decernit ille actus absolute, sed conditionatè tantum; nempe produceretur actione C, nisi produceretur actione B. item actione B, nisi actione C. Humanitas autem sic decreta cognoscitur existitua non in se, ut obiecto formali, sed in decreto. at sic decreto Christo, potuit videri peccatum Adæ, & decerni productio B, in emendationem peccati. Quod decretum est etiam voluntas efficax executiua de existentia Christi, quia actio & terminus eodem actu efficaci amantur.

§. 233. En Christum venturum independentè à peccato Adæ, quia illo non peccante exequenda esset Incarnatio per aliam actionem; eo autem peccante eam exequitur Deus per hanc: quo simul voluit substantiam Incarnationis in emendationem peccati: quia voluntas efficax de hac numero productione est formaliter voluntas de substantia termini producti.

§. 234. Imò Christus sic existens potuit videri bene operans; & impetrare à Deo executionem suæ Incarnationis, & ut conciperetur à Maria per hanc numero actionem: & gratiam sanctis Patribus, quæ illi mererentur circumstantias. Quæ opinio vitat ordinem intentionis & executionis distinctum de singulis obiectis. Prima enim voluntas non est executiua, quæ sine actione nihil potest exequi: Secunda verò est executiua, quia exequitur actum & terminum. Vitantur item actus confusi in Deo, & componuntur omnia, quæ Sancti effecerunt de hoc mysterio.

SUBSECTIO II.

Explicatur ea sententia.

§. 235. **H**æc opinio, quod attinet ad actiones, duos habet sensus. Primus, Deum nihil agere absolute de illis, sed conditionatè dumtaxat. nempe: Ego volo efficaciter substantiam Incarnationis; actionem autem nullam volo absolute: sed si peccatum contingat, eligam hanc in eius emendationem: imò eam eligam ob merita Christi, qui merebitur gloriam redemptoris; si verò non contingat peccatum, eligam aliam. Ex vi cuius decreti neutra videtur absolute; sed tantum videtur Christus existens: sub conditione autem peccati & meritum, videtur productio B ex Virgine; sub con-

ditione autem carentiæ peccati videtur productio C. *S. Thom. q. 2. art. 3.*

§. 236. Secundus sensus nihil admittit pendens à conditione: sed Deus volens Christum absolute, dicit apud se, Eligam actionem B, nisi aliam elegero. idemque est de cæteris actionibus.

§. 237. Hic vltimus sensus mihi displicet: nisi enim Deus expresse velit expectare conditionem nobis liberam, iam reciditur in actus confusos, aut indeterminatos: estque ludus puerilis: Volo hanc actionem, si cæteros noluero. quid enim occurrit postea, quod non sit præuisum? solus ergo restat sensus conditionatus.

§. 238. Quem recusant eius auctores, ne videantur esse à mea sententia: qui constitui sæpè decreta Incarnationis, & nostræ prædestinationis iam absoluta, iam conditionata: substantia enim Incarnationis à me constituitur decreta à Deo independentè à meritis. quæ Incarnatio cum actione determinata dependente à solo Deo meretur maternitatem Mariæ per aliam actionem adæquatam. item meretur Patribus antiquis gratiam ad impetrandas circumstantias loci & temporis. Si ergo sint merita ut Christus nascatur Berthehem, nascatur; sin minus merita fuerint, nascatur alibi: substantia enim Christi determinata non videtur absolute in hoc loco, sed tantum sub conditione. Hoc idem asserunt hi auctores de actione: ponunt enim hanc numero humanitatem existentem; actionem autem non nisi sub conditione. vtrum autem bene, iam examino.

SUBSECTIO III.

Prima impugnatio eius sententiæ ab identitate intentionis finis, & electionis mediorum.

§. 239. **H**æc opinio non distinguit nec ratione voluntatem efficacem de productione à voluntate de termino ipso producendo: distinguit autem voluntatem de termino à voluntate de productione. Potest ergo amari efficaciter terminus, quin efficaciter ametur hæc actio: hæc autem non potest efficaciter amari, quin ametur & terminus eodem actu. Probo, intentionem finis, & electionem mediorum in nobis, non distingui realiter, nec ratione in Deo: ea enim sententia est S. Thomæ 1. 2. q. 8. a. 3. ad 2. & q. 12. art. 4. asserentis finem & media in ratione entis amari posse actibus diuersis; ut finem autem, & ut media non posse nisi eodem actu amari: id est, si considerentur ut entia distincta, ut sunt in se bona, possunt terminare plures actus: at si considerentur media ut vtilia, & ut eligibilia ad assequendum finem, item & finis ut obtinendus per media; non possunt nisi vno actu amari. videantur eius verba. de qua opinione egi disp. 14. de Anima sect. 3. & disp. 3. de Prædestinatione sect. 8. Nunc libet eam probare in termino, & eius passiva productione.

§. 240. Primum, voluntas efficax de productione ignis est idem realiter, & ratione nostra cum voluntate efficaci de existentia ipsius ignis: ergo è contrà voluntas efficax de existentia ignis est idem realiter, & ratione cum voluntate efficaci de productione ignis. Probo antecedens, quia actio est ratio dandi existentiam, & eam constituendi actu extra causas: nec enim potest concipi actio ut ex-

s. Thom.
q. 1. art. 3.

ercita dans actu esse, quin eius terminus concipiatur vt exercitus, accipiens actualiter esse extra causas: ob quod eadem voluntas est de actione ac de termino. quo differt actio ab vbiacione & duratione (si distinguitur): licet enim non possint concipi sine existentia subiecti; at non sunt rationes dandi esse subiecto, sed potius illud supponunt: productio verò minimè supponit, sed est illo prius prioritate naturæ imperfecta cum similitate rationis. Stet ergo fixum, non distingui nec ratione voluntatem efficacem de actione à voluntate efficaci de termino.

§. 241. Probo consequentiam: quia vt actio est ratio extrahendi ex causis terminum, & illum dandi: ita terminus est extra causas, vt res data & facta: ergo vt ratio dandi amatur necessariò eodem actu, quo terminus factus: ita terminus datus & factus amatur necessariò eodem actu efficaci, quo eius datio & factio: quia terminus factus non potest esse sine factioe, nec præscindi magis quam factio sine termino factio.

§. 242. Explico vim argumenti: Incarnatio vt existens concipitur vt existens ab alio; quia eius existentia non habet esse exercitum à se, sed à Deo, ita vt repugnet eam exerceri sine productione à Deo, vel priori natura, vel simul ratione cum termino: ergo Deus volens efficaciter existere Incarnationem, vult efficaciter existere cum dependentia à seipso, ita vt illa volitio sit aut prior ratione, aut simul ratione, aut eadem ratione: nam posterior esse non potest, quia rem extra causas habet per actionem: ergo qui vult rem esse extra causas, vult actionem.

§. 243. Objicis Primùm, Incarnationem esse extra causas formaliter per suam existentiam, non vero per productionem: ergo qui vult Incarnationem esse extra causas, cogitur velle existentiam, actionem verò non cogitur velle eo actu, sed alio. Contrà: Illa existentia formalis extra causas non potest esse formaliter exercita nisi accipiendo illud exercitum à Deo per productionem, ita vt illa acceptio aut sit natura prior, aut simul cum termino accepto: cum enim sit essentialiter ab alio, non potest concipi esse nisi ab alio: actio ergo non potest concipi vt existens posteriori: quia non potest concipi terminus vt existens ab alio, nisi tunc concipiatur ratio exeundi ab alio. quamuis ergo terminus possit præscindi ab accidentibus, à quibus non pendet à priori: at non potest abstrahi ab actione, à qua pendet à priori tamquam à ratione formali accipiendi esse à Deo. cum ergo terminus sit essentialiter esse acceptum; non potest concipi sine acceptioe, nec amari, quin tunc ametur acceptio. Quo argumento impugno sententiam propositam §. 178. distinguentem voluntatem efficacem de termino à voluntate efficaci de actione.

§. 244. Dices Secundò, satis esse amare efficaciter actionem posteriori ratione quam ametur terminus: qui eo ipso quòd est ens ab alio petit voluntatem efficacem de actione, non tamen antecedentem, aut simul ratione; sed vel antecedentem, vel simul, vel posteriori, vt amatur vbiacio, & alia accidentia. Contrà: Iam ostendi discrimen de accidentibus posterioribus: terminus enim ab illis minimè pendet à priori; sed concipitur existens prius quam illa, & illorum causa physica. Nec desunt qui opinentur posse rem existere diuinitus si-

ne vbi, & quouis accidenti reali: actio verò est (quamuis imperfectè) prior natura, & vt ratio, qua existentia prodir à Deo: quæ non potest concipi existens prius quam prodeat à Deo: ratio autem prodeundi est actio: ergo non potest concipi vt existens sine actione Dei.

§. 245. Confirmatur. Illa existentia non concipitur vt exercita à se ipsa: quia sola existentia Dei est talis, nec concipitur vt abstracta ab exercitio à se, & ab alio: quia id conuenit existentia vt sic abstracta à creata & increata; creata verò constituitur distincta ab increata, per dependentiam à Deo: ergo concipitur vt existentia ab alio exercita. quia si est ens ab alio, ab alio habet exercitum: sed exercitum est actio: ergo concipitur cum actione.

§. 246. Vnde colligitur alterum è duobus, aut actionem amari eodem actu ratione, aut amari simul ratione, aut prius; posteriori verò amari non posse: quia existentia creata non est producta posteriori ratione quam existens: ergo eius productio non est volita posteriori ratione efficaciter quam existentia. Consequentia patet: quia alioquin actio videretur posteriori ratione. Antecedens patet: quia existentia non potest concipi vt existens nisi ab alio: at esse ab alio non potest nisi per dependentiam ab alio: ergo. Quod argumentum mihi videtur maximè efficacax.

§. 247. Ex quo vterius deduco, non posse Christum mereri illam actionem: quia si illam posset mereri, posset videri Incarnatio existens, quin tunc videretur productio.

§. 248. Dices Tertio, tunc amari vagè aliquam actionem; non tamen hanc numero potius, quam aliam. Nec dantur propterea actus confusi in Dei voluntate, sed conditionati: vult enim Deus terminum in singulari: ex actionibus autè vult actionem B, si alias non voluerit: & actionem C, si noluerit alias. Contrà: Iam impugnauimus eam sententiam.

§. 249. Deinde probo, nec actus conditionatos admitti posse in actionem; quia terminus est absolute volitus vt existat efficaciter. ex quo decreto sequitur visio de illo vt existente absolute, & non sub conditione: ergo videtur actio existens absolute, & non sub conditione. Probo consequentiam, quia existentia accepta & exercita ab alio absolute, non potest exerceri, nec accipi per acceptioem & actionem sub conditione: quia hæc dum sub conditione manet, nihil præstat absolute: cum ergo produci absolute vel sit prius natura quam existere, vel sit simul, implicat videri prius existere quam produci; & consequenter implicat amari efficaciter. Quo decepti sunt auctores oppositi: quia existentia ab alio non est posteriori in se formaliter quam sit ab alio.

§. 250. Dices Quarto, productionem non esse indifferentem ad alios terminos: ob quod non potest visione & amore separari ab hoc termino: hic autem terminus est indifferens ad plures actiones: ob quod est separabilis visione & amore ab hac actione. Contrà: Id probat aperte non posse amari hanc numero actionem sine hoc numero termino: item, posse hunc numero terminum amari sine hac numero actione, & esse possibile plures ratione nostra voluntates Dei de hoc termino, quæ non sint de hac numero actione: at nullam posse esse de hac numero actione, quin sit de hoc numero termino: & potuisse Deum amare terminum sine hac
actio-

actione. At non probat non esse Deum determinatum ad abigendam absolute aliquam numero actionem; & non tantum conditionate: quia a parte rei non potest terminus existere sine ea actione in particulari: at non conditionate cum aliqua, sed absolute; ita ut una sit exitura absolute. Secundò, quia Deus vult existere absolute hunc terminum: ergo vult existere absolute ab ipso: ergo vult absolute aliquam actionem in particulari, per quam existat ab ipso: quamvis ergo liberum illi sit eligere per varios ratione actus hunc terminum cum hac productione, vel per alium ratione actum eundem terminum cum alia productione: at necessarium se determinat ad unum actum circa terminum cum una actione absolute, & non sub conditione.

§. 251. Quòd si nolunt admittere hanc identitatem; ego dicam nec esse eundem actum efficacem de actione & de termino: quia quamvis actio sit inseparabilis à termino, id probat inferri necessarium aliquem actum circa terminum: at non inferitur identitas eorum actuum: itaque ex voluntate termini inferitur necessarium aliqua voluntas de aliqua actione, non verò de hac: ex voluntate autem de actione inferitur voluntas de hoc termino. imò prior voluntas efficax de termino sufficit; quia ex illa inferitur voluntas de actione. quibus positis sequuntur actio & terminus sine novis actibus, ut dixi à §. 178. Vel si sequitur novus actus circa terminum, est distinctus à voluntate de actione.

§. 252. Igitur Deus volens efficaciter existere Incarnationem, voluit eodem actu existere actionem, qua producatur: quia velle Incarnationem existere ab alio, est velle rationem qua ab alio sit: cum autem videat eam non posse ab alio existere sine actione in singulari, & videns plures, elegit hanc numero, uno actu amans Incarnationem, & eius productionem: potuit autem alio actu ratione amare eandem Incarnationem cum alia productione: at absolute non potuit non eligere unam actionem ex ijs, quibus vidit produci posse Incarnationem.

§. 253. Dices, medium posse amari tripliciter: Primum in obliquo, quando amatur eius utilitas precise propter bonitatem finis, & non propter ipsam. Secundò, in recto, quando utilitas amatur propter ipsam in ordine ad finem: quo actu finis amatur in obliquo. qui duo actus sunt formalis electio medij. Tertid, medium amatur etiam directe, quando amatur propter aliquod bonum præcisum ab utilitate: tunc autem medium amatur materialiter, & eius est materialiter electio.

§. 254. Contrà: ille actus, quo medium amatur indirectè, sufficit ad illud executioni mandandum sine novo actu quo illud ametur in recto, aut directè. quod & ipsi fatentur, & est facile probatu: quia ille amor attingit bonitatem medij in se volendo efficaciter illud esse: quia illud attingit proportionate ad intentionem efficacem. Item, Deus in sententia communi ita diligit creaturas. quæ dilectio satis est ad earum productionem: igitur intentio efficacis finis non distinguitur ab electione necessaria, & sufficienti ad medium. Quod ego contendo. Verum autem sint alij actus possibiles, non est contra me.

§. 255. Addo, secundum actum non distingui à primo: quia si amat medij utilitatem, quia est utili-

tas: ergo etiam amat finem, ad quem est utilitas. ad §. Them. quod satis est eam amare ad consequendum finem, 2. 1. art. 3. siue ex fine moveri: amatur autem quia per illam obtinetur finis. At propter ipsam ut obiectum primum non potest utilitas amari formaliter: quia utile ut vile non est amabile propter ipsum, sed propter finem, ad quem est utile. quo differt à bono delectabili. Quod probò: quia iste amor de utilitate propter ipsam derivatur adæquate ex fine, vel non? Si primum, ergo semper amatur eodem modo propter finem; non verò propter ipsam: nec est locus ad distinguendos duos actus. si verò non derivatur ex fine; quo pacto amatur ut utilis? Quòd si amatur, non est ex intentione finis: ego verò loquor de electione formaliter, non verò materialiter: unde tertius actus est distinctus omnino, nec huius instituti: cui satis hæc sunt.

S V B S E C T I O I V.

Secunda impugnatio: quòd non assequatur scopum ea opinio.

§. 256. **A**dmittis tamen illis actibus, adhuc nihil evincunt: ipsi censent voluntatem illam secundam circa actionem singularem esse absolute voluntatem de ipso termino. Quod impugno: Primum ab exemplo communi apud eos Theologos admittentes in Virgine meritum congruum ad circumstantias Incarnationis, nempe maternitatem, non verò ad substantiam; cum tamen in sententia communi Virgo per veram actionem attingit unionem humanitatis, qua genitus est Christus: & quamvis omnes admittant hanc actionem, nullus admittit Virginem meruisse substantiam. Unde arguo, Deus volens merita Virginis ad actionem, qua Christus est genitus, noluit ea merita ad substantiam Incarnationis: ergo nec Deus volens actionem actu posteriori, vult per illum substantiam Christi. Probo consequentiam: quia voluntas de meritis ideo non est de substantia Incarnationis, licet sit de actione; quia Incarnatio est volita efficaciter, & videtur existens independentè à meritis, & prius ratione: sed substantia Incarnationis per primam illam voluntatem est efficaciter decreta independentè ab hac actione, & videtur existens prius: ergo hæc voluntas de actione non est de substantia Incarnationis.

§. 257. Secundò probatur à priori: quia prima voluntas fuit de substantia Incarnationis secundum se; ex vi cuius Incarnatio videtur existens, ad eò ut eius opera possint esse merita ad actionem: voluntas autem de actione non est de substantia Incarnationis secundum se, sed ut per hanc actionem, itaque illo secundo decreto non voluit Deus Incarnationem absolute, & secundum se, sed per hanc actionem. quæ duo sunt admodum diversa. Confer utramque: prima ut existat; secunda ut per hanc: ad eò ut hac deficiente existeret per aliam ex vi primi decreti: ergo secunda voluntas non est de Incarnatione simpliciter, sed secundum quid.

§. 258. Clarius patet contra doctrinam à §. 253. quia si prima intentio constituit à parte rei Incarnationem, & eius productionem; secundus actus decernens actionem in recto nihil dat novum; nec terminum, nec productionem: ergo est ea sententia inutilis ad hæc merita.

§. 259.

S. Thom.
2. 1. 4. 3.

§. 259. Multò minùs seruit ille ordo meritis ad Incarnationem: quia omne præmium post præiustum meritum donatur non solùm liberè, sed etiam liberaliter: pertinet enim ad gratiam, quæ vocatur remuneratio: at vbi non est libertas, non est gratia, nec remuneratio. quod latè probaui disputans de merito & prædestinatione: sed præiustis meritis Patrum, Deus non est liber ad existentiam Incarnationis negandam: quia merita eam supponunt: ergo existentia Incarnationis non potest esse præmium in eo euentu.

§. 260. Item esset præmium exiguum, imò ridiculum, dare hanc actionem. O magnum præmium! cum Christus iam esset exequendus necessariò per aliam tam bonam, dare Virgini influxum est magni momenti: sicut enim est mater Dei: at quòd Virgo det hunc numero potius, quàm alium, quid illius interest?

§. 261. Hinc sumet aliquis argumentum ad probandum, Deum secundo actu terminato ad productionem & existentiam, velle absolutè existentiam Incarnationis, & non secundùm quid: quia si ponatur existentia producta per aliam actionem, adhuc Virgo secunda actione producit absolutè Christum: ergo voluntas supponens aliam, vult absolutè Christum. Probo consequentiam, quia eadem ratione se habent actio supponens aliam, & voluntas aliam supponens.

§. 262. Huic argumento respondebit aliquis, secunda actione non produci absolutè Christum, quia iam ponitur productus per aliam priorem: quemadmodum per corruptionem non corrumpitur terminus, quando destructa vna actione subrogatur alia terminum conseruans. Contrà: B. Virgo verè generat Christum, & eum absolutè producit, licet per secundam actionem, posteriorem alia producta à solo Deo. Item, illa est absolutè productio: ergo denominat terminum productum. Exemplum de corruptione non est de re: quia est alia actio præstans formalem effectum oppositum corruptioni: at vna productio non est alij opposita in effectu formali.

§. 263. Ad argumentum ex §. 261. nego consequentiam. Ad probationem respondeo, actionè secundam supponere per accidens primam, & vtramque esse ex natura sua actionem totalem: vnde effectus formalis producti præstatur æquè per vtramque: at secunda voluntas supponit per se primam: vnde non potest existere in ratione denominationis liberæ, nisi quasi dependenter à priori: vnde per se est insufficiens ad existentiam termini: voluntas autem huiusmodi nec est liberalis, nec remuneratiua, nec absolutè productiua: quia pendet à voluntate productiua termini secundùm se, & absolutè, qui iam non potest non esse: vnde in eo donando non est liberalitas: quia hæc petit carentiam necessitatis antecedentis.

S E C T I O X.

Vltima sententia de intentione & executione.

§. 264. Tandem admittunt aliqui intentionem in diuinis actibus ab executione ratione distinctam: quia executionem dicunt esse actus

liberos Dei terminatos efficaciter ad existentiam creaturarum; intentionem verò dicunt esse actum liberum Dei reflexè & efficaciter terminatum ad actus directos Dei, quos imperat efficaciter, vt per illos producantur creaturæ. Vno verbo ista sententia est, qua constituuntur præfinitiones efficaces dependentes à scientia media: quibus Deus vult reflexè actus suos, & totum statum conditionatum, in quo scientia media cognouit liberum arbitrium creatum bene operaturum.

§. 265. Non disputo nunc præfinitiones istas à me alibi impugnatas abunde, neque item te morabor in confutanda ista intentione & executione: quia ego non voco ordinem intentionis actus Dei terminatos ad finem distinctos ab electione mediatorum: quia dum non ponuntur duo actus efficaces immediatè terminati ad finem, quorù primus sit ante totam electionem mediatorum (qui primus vocatur intentio,) secundus verò dicitur executio, estq; post totam electionè & existentiam mediatorum; de quibus egi à §. 170. Dum igitur hi actus non ponuntur, non est quæstio de re, sed tantùm de voce: quamuis admittantur duo actus efficaces ratione nostra distincti, alter ad finem, alter ad mediū, vt etiam obseruaui §. 196. & 204. His igitur prætermisissis tota hæc series actuum non est ad scopum præsentem: quia numquam videtur Incarnatio existens in statu absoluto per aliquem actum Dei, priorem ratione alio actu ipsius Dei pertinente ad eius executionem. Quia illa præfinitio est reflexa, volens transferre statum conditionatum obiecti in absolutum per media cognita sortitura effectum: actus verò directi non sunt in statu absoluto nisi imperati illa præfinitione. Ob quod ea opinio est inutilis ad examinandum, vtùm Incarnatio videatur existens independenter à peccato, deinde decernatur quoad substantiam dependenter ab eodem peccato.

S E C T I O XI.

Opinio de duobus actibus adequatis.

S V B S E C T I O I.

Proponitur.

§. 266. P. Suarez aliam minùs salebrosam viam iniuit. Genet Deum allectum ad Incarnationem intrinseca bonitate. Ex quo decreto visus est Christus bene operas: & ob eius opera præuisa vult homines prædestinare ante peccatum præuisum: deinde videns Adami peccatum, voluit alio decreto efficaci substantiam eandem Christi cum accidentibus passibilitatis: visà autem morte Christi, ob eam dedit hominibus gratiam reparatricem à peccato.

§. 267. Ex qua opinione sequitur Primum, B. Virginem excipi potuisse à peccato, & eius debito ob merita Christi. Secundò, angelos accepisse gratiam ex meritis Christi. Tertio, primam gratiam Adami fuisse ex meritis Christi. Quarto, Christum factum hominem, & passum propter nos homines, & propter nostram salutem. quo differt ab Scoto, qui agrè tuetur venisse Christum è cælis vt nos redimeret.

§. 268. Quintò, venturum Christum tametsi Adami

Adam non peccaret: quia primum decretum erat adequatum, ex vi cuius Christus visus est existens independenter à peccato existente. Nec opus fuit illud videre per scientiam mediam: quia licet sub conditione non videretur, adhuc primum decretum subsisteret.

SVBSECTIO II.

Examinatur impugnatio P. Vasquez.

§. 269. **P.** Vasqu. disp. 10. c. 8 hanc sententiam multis impugnat: quia voluntas non potest actu moveri duplici adequato fine. Quod prius in humana probat: quia duo fines adequati sunt obiecta adequata duorum actuum realiter distinctorum: sed hi non possunt simul movere voluntatem ad idem opus: ergo nec duo fines adequati. Probat Minorem, quia effectus simul penderet à duabus causis adequatis, quarum qualibet sola effectum causeret: hoc autè naturaliter repugnat: ergo. Probat Minorem, quia duæ causæ efficientes aut formales non possunt simul influere: ergo neque duæ finales. Probat consequentiam, tum quia causa finalis se habet instar efficientis: quia eadem est ratio: nihil enim natura frustra molitur. Hæc deinceps mutuatus est ex P. Vasquez P. Raguza disp. 28. §. 8. verè. *Hæc sententia.*

§. 270. Hoc argumentum tantum evincit, non posse ex rei natura esse duos fines adequatos operis eiusdem: at de potentia absoluta id repugnare minimè probat: tum quia ostendi disp. 8. Physicorum sect. 9. posse diuinitus effectum eundem oriri à duobus agentibus in actu secundo adequatis: ergo de potentia absoluta poterit etiam oriri à duobus finibus: cum ergo Deus possit producere effectum cum duobus actibus adequatis arbitrij creati, quidni poterit & per duos suos: cum item Deus allectus bonitate huius mysterij possit adequatè illud decernere; si postea videret hominem in peccato, cur non possit misericordia tactus habere actum efficacem circa mysterium idem? Hic autem secundus actus non esset frustra, quia eo ostenderet Deus infinitum amorem in electos.

§. 271. Deinde ex natura rei voluntas moveri potest per duos actus adequatos. Nam qui erogat stipem ex affectu leuandi inopis miseriam, eam erogat ex fine miserie, deinde considerans se ea elemosyna placere Deo, elicit affectum eam erogandi ex fine charitatis: qui duo affectus simul existunt, quia nullam habent oppositionem, & singuli sunt sufficientes ad illud opus, quod oriretur à quolibet illorum existente sine alio: sed ex utroque oriretur stipis erogatio: ergo ex duobus finibus adequatis potest elici eadem actio. Probo Minorem, quia uterque actus est absolutus & efficax ex natura sua, & habet pro obiecto stipis erogationem: ergo hæc oritur ab utroque. Antecedens est certum, quia actus charitatis terminatur ad erogationem stipis tamquam ad medium, per quod Deo placeatur: similiter misericordia tamquam ad medium, per quod subleuetur alterius inopia: amat enim charitas efficaciter erogationem stipis propter Deum; misericordia autem amat eandem propter leuamen inopie: alioquin non essent illi duo actus charitatis & misericordie. Itaque negari non potest eam actionem esse obiectum efficaciter, intantum vtriusque actus. Probo consequentiam, nem-

pe eam actionem oriri ab utroque: quia oriri actio-^{s. Thom.} nem ab aliquo actu nihil est, quam eam oriri à po-^{9. 1. 3.} tentia exequente ut obiectum actus absolute eam & efficaciter volentis: sed illa oritur à potentia exequente ut obiectum vtriusque actus absolute & efficaciter eam volentis: ergo oritur ab utroque. Maior probatur tum inductione: quia oriri à cognitione practica nihil est, quam oriri à potentia terminando cognitionem, per quam potentia dirigitur: & oriri à causa finali nihil est, quam oriri ut obiectum voluntatis electivæ mediæ. Tum ratione, quia actus vitales non habent alium influxum in obiecta nisi per terminationem ad ea, & obiecta non causantur nisi terminando extrinsecè actum: ergo, si actio oritur terminando actum vitalem eam absolute volentem, oritur terminando eius causalitatem. Minor patet, scilicet eam actionem oriri ut obiectum vtriusque actus eam absolute volentis, quia tunc uterque actus vult absolute eam actionem oriri à potentia, quia uterque ad illam terminatur absolute, quod probavi esse eam actionem per vtrumque oriri. ergo illa actio oritur, ut est volita absolute per vtrumque actum; quia oritur ut uterque vult: ergo ut obiectum vtriusque.

§. 272. P. Vasquez n. 79. respondet eo eventui actionis causam esse vnum actum, qui in se est efficacior, non verò vtrumque; quemadmodum effectus non feret à duabus causis adequatis si essent applicatæ. Contrà: Actio non oritur physice ab illis actibus, sed tantum intentionaliter, ut est ab illis volita absolute: ergo oritur ab utroque, quia ab utroque est absolute volita, & ut sic volita oritur à potentia. Probo antecedens, quia tota causalitas voluntatis absolute est velle absolute, neque versatur circa actionem, nisi eam absolute volendo: imò nonnulli aiunt terminum causari à finali media actione physica, ut præcisè est volita. quo differt ab efficienti, quæ versatur circa terminum per motum à se distinctum, tamquam per agendi rationem, quam physice attingit ut quo. Vnde applicata causa physica potest non operari; quia ille modus potest impediri per alium modum aliis causæ: voluntas verò se ipsa versatur circa actionem, eam per essentiam denominans volitam absolute, & ut actio dicatur oriri à potentia exequente ut causata finaliter non requiritur ex parte volitionis, nisi ut sit ipsa volitio absolute volens: si enim potentia est expedita, non poterit motum continere. Vndeposito utroque actu ponitur vtriusque causalitas respectu actionis externæ, si semel ponamus causalitatem finis esse actum voluntatis: si verò ponamus actionem externam esse causalitatem finis, in quantum est volita, etiam repugnat actionem oriri ut volitam ab utroque actu, quin causeretur ab utroque finaliter: non secus ac repugnat illam actionem non esse absolute volitam ab utroque, & ut repugnat positus duabus qualitatibus in subiecto, illud non denominari quale ab utraque.

§. 273. Confirmatur. Tunc voluntas efficaciter amat medium illud per vtrumque actum: ergo medium illud efficaciter amatur per vtrumque: ergo oritur ut efficaciter amatum per vtrumque: ergo uterque actus est principium illius: quia sicut neuter actus impedit alterum, ne denominet obiectum absolute amatum, ita non impedit ne causer obiectum, quia illa causalitas est per unionem sui. Contingere potest obiectum aliquod non habere
adqua-

S. Thom.
q. I. art. 3.

adæquatam vim, vt voluntas habeat actum absolutum circa illud: at si semel eum habet, iam denominatur obiectum absolute volitum, & potentia illud exequitur præcisè, quia illud voluntas vult absolute, ita vt ex parte voluntatis, & potentia, & actionis nihil aliud requiratur, vt actio sit productiva ex illo fine: ergo etsi ponatur simul alia voluntas absoluta, non tollitur causalitas prioris; sed vtraque erit causa mouens: quia vtraque denominat obiectum volens.

§. 274. Respondebis Secundò ex eodem §. 47. P. Valquez n. 75. 76. & 82. posse cum vno fine adæquato concurrere alium finem impulsuum, non tamen adæquate motiuum, quo res fit alacrius aut citius, sine quo fieret quidem res, non tamen tam cito & alacriter. Bene id aliquando contingit, vt etiam in physicis ostendi, cum causa adæquata ad substantiam effectus posse influere aliam ad effectum eundem celerius producendum, vt communiter ponuntur habitus acquisiti ad facilitatem actuum; quia ad celeritatem prior causa non erat sufficiens. At constituitur duos actus absolutos duarum virtutum singulos adæquatos ad totam substantiam effectus; tunc vterque est voluntas absoluta effectus secundum suam substantiam: ergo vterque concurrat ad substantiam effectus. Consequentiam probavi læpè: quia actus absolutus nullo modo concurrat ad effectum, nisi illum absolute volendo. Antecedens patet: quia vterque eligit eam actionem vt medium ad suum finem.

§. 275. Confirmatur Primò. Demus hominem volentem iter facere ex motiuo charitatis, quo perseverante ei præcipitur iter, illudque vult, quia præcipitur, & tunc per actum obedientia iter non fieri citius aut alacrius, sed forte molestius; quia licet velit obedire, tamen aliquam ob causam itomachiatur præcepto, & præcipienti. Hic nullus est finis impellens, & vterque actus absolute vult iter, & qui illud facit, dicit se moueri ex motiuo vtriusque virtutis, & meretur per vtramque: ergo. Nec dici potest eum tunc bene mereri: quia habet actum, quo faceret obiectum ex præcepto, si illud ex charitate non faceret: quia quamuis possumus per actus conditionatos mereri, illos tamen bene experimur: at in casu argumenti nullus habetur actus conditionatus, quo obediens dicat se facturum rem ex obedientia, nisi eam faceret ex charitate: sed absolute vult obiectum ex vtriusque motiuo, & illa actio externa est meritoria merito obedientia & charitatis, quia per vtriusque actus amatur.

§. 276. Confirmatur Secundò. Duo actus intellectus singuli adæquati in suo genere possunt concurrere ad eandem actionem externam: ergo duo actus voluntatis. Probo antecedens: Christus enim per scientiam naturalem, per infusam, & per beatam dirigebatur ad multas actiones obeundas, quæ erant obiectum trium illarum scientiarum, quæque exercebantur à Christo per directionem omnium scientiarum: nam in illis exercendis sequebatur dictamen singularum scientiarum: ergo omnes illæ concurrebant ad actiones. quia actus practicus nullo alio modo concurrat ad effectum, nisi illum representando potentia: si verò opus illud fiat, vt representatur, actus dicitur actualiter regulare potentiam. Confirmatur Tertio. Homo inter insomnia per appetitum sensitivum imperat

motum, cuius est causa adæquata in genere causa intentionalis. Similiter quando vigilat, imperat etiam motum per appetitum sensitivum: qui appetitus est causa adæquata illius; sed cum hac causa adæquata concurrat etiam imperium liberum voluntatis, quod se solo esset sufficiens ad imperandum talem motum, tamen appetitus nullum actum haberet: ergo cum vna causa adæquata intentionalis potest simul concurrere alia adæquata vel inadæquata. quod non contingit in physicis.

§. 277. Ad argumentum in §. 43. negabit aliquis Maiorem: quia representatis duobus obiectis formalibus posset voluntas eodem actu ferri in vtrumque. Verum iam tunc non essent duæ causæ finales adæquate: quia licet singula obiecta proprijs actibus possent mouere potentiam, vt Deus per actum charitatis; tamen respectu illius actus, quo amaretur vtrumque, neutrum esset motiuum adæquatum, sed partiale: quia nisi in vtrumque simul non posset ferri. Vnde cum obiecta non moueant potentias externas nisi per actus internarum, non essent tunc duæ causæ finales adæquate in actu proximo, sed vna; remotè verò essent duæ. Deinde, id non potest tunc responderi, quia in nobis non est nisi vnus habitus charitatis, cuius actus adæquate respiciunt solum Deum vt obiectum formale. At essent admittendæ mille charitates: altera in solum Deum, altera in Deum cum motiuo obedientia, tertia cum motiuo castitatis, quarta cum castitatis simul & obedientia. Item singulæ virtutes infinitis multiplicarentur: quia possunt sine fine coniugari earum motiua. nisi dicamus plures habitus infusos concurrere simul ad vnum eundem actum, cuius obiectum formale adæquatum constaretur ex obiectis adæquatis illarum; quæ respectu huius essent singula partialia; vel ex obiectis formalibus amatis à singulis per suos actus proprios esset vna numero electio medij orta ab omnibus actibus illarum virtutum circa obiecta formalia. de quo vol. 2. disp. 31. à §. 4. Quamuis interdum possit vnus actus orti ab omnibus habitibus: at improbable est id necessariò fieri, quoties duabus virtutibus mouemur.

§. 278. Responderetur igitur, duas causas physicas eiusdem generis & ordinis adæquatas in actu secundo non posse simul concurrere ad effectum eundem; secus duas intentionales: quæ licet sint instar efficientis in extrinseco influxu, non tamen simpliciter. Præstò est discriminè: quia è duabus causis efficientibus adæquatis oriuntur duæ actiones realiter distinctæ, quarum vna impedit altam. vel quia sunt eiusdem speciei: duo autem indiuidua accidentis non capiuntur eodem subiecto, si vtrumque feruit munerì eidem. si autem actiones sint diuersarum specierum, superfluit altera: quia vtriusque finis per se primò intentus est, facere vt terminus existat, & cum per alteram existat, altera superfluit. At verò causæ intentionales non traiciunt in effectum duas actiones; sed vnã & eandem extrinsece attingunt, eam representando, vel amando. Hoc autem quid repugnat? cum obiectum idem mille afficiatur extrinsecis denominationibus. Si autem potentia exequatur actionem, vt amatur aut representatur per actus, tunc vterque actus dicitur causare. Hæc autem non superfluit, quia potentia rationales diuersimodè perficiuntur per actus virtutum diuersarum: & sic

ut voluntas potest amare obiectum idem per actus diuerfos simul existentes, ita & obiectum potest amari.

§. 279. Dices, ad effectum solum requiri vnam causam: ergo alia non concurrat: quia nulla causa concurrat, ut non est necessaria, quia effectus non exigit eam causam. Distinguo antecedens. vna causa sufficit ad substantiam effectus vt cumque faciendam, concedo antecedens, vt patet in motu per solum appetitum sensitiuum: nego verò sufficere ad effectum rationali perfectione faciendum: perfectus enim fit per actus duarum virtutum, quàm per vnus. Et nego consequentiam. Ad probationem respondeo, eam habere locum in causis physicis, quantum causalitates per se primò ordinantur ad effectus externos, & posita vnà superfluit alia; non verò in intentionalibus, quæ per se primò ordinantur ad perficiendam intrinsecè potentiam vitalem in ordinè ad suum obiectum: & quoties potentia est capax denominare obiectum per plures actus, obiectum etiam est capax denominari.

§. 280. Secundò probat P. Vasquez n. 48. repugnare Deo operari propter duo adæquata motiua: quia Deus potuit per illa moueri tamquam per obiecta partialia eiusdem actus: ergo tunc res disponentur diuerso modo, quo nunc: quia diuersus actus liber Dei diuersas constituit in creaturis mutationes: sed tunc nullo alio modo possent res disponi, quàm nunc disponuntur: ergo nunc disponuntur per vnum actum propter ea duo motiua adæquatè, & propter singula inadæquatè.

§. 281. Inefficax argumentum: nam per te potuit Deus moueri vno actu libero ex vno illorum motiua. ex grat. excellentia mysterij. similiter moueri potuit alio actu ex vtroque motiua: assigna mihi ex parte Christi duas mutationes physicas, quibus diuersimodè disponentur Christus in vtroque casu: easque intellige à me tibi assignatas. Deinde præuiso peccato potuit Deus efficaciter velle Christum, vt in eius operibus sibi complaceret ad deprimendam superbiam Adami: & potuit nolle Christum redemptorem, sed Adamum liberare per hæc numero auxilia: rogo quæ mutatio tunc esset per illum actum diuersa ab ea quæ nunc est: Respondeo Primùm, potuisse Deum per secundum actum velle producere Christum alia actione realiter distincta, quæ esset diuersa mutatio. Secundò respondeo, per primum actum potuisse Deum velle substantiam Christi, & accidentalem eius mutationem per vocationes congruas ad actus amoris: per secundam verò voluntatem potuisse velle eundem Christum proximè passibile, & eum immutare per vocationes congruas ad acceptandum munus redemptoris; ita vt hoc complexum sit obiectum secundi actus.

§. 282. Alia argumenta adducit, quæ omitto, quia non tam sunt simpliciter ad probandum non posse Deum duplici adæquato motiua aliquid decernere, quàm ad hominem contra P. Suarez, quæ tamen haud difficilem habent explicatum: sicut nec alia obiecta à P. Ragusa disp. 28. §. 8. vers. *Hæc sententia*, & sequ.

SVBSECTIO III.

S. Thom.
q. 1. art. 3.

Impugnatur opinio.

§. 283. **D**O Patri Suarez, posse Deum duobus actibus ratione nostra distinctis velle aliquod obiectum, quod posset velle per singulos illorum; tamen id non posse esse postquam obiectum est existens per vnum actum, vt ponitur à P. Suarez, sic probo: quia causa finalis mouens potentiam ad opus faciendum, præcedit ratione nostra operis existentiam: sed finis absolute reparandi hominem non præcedit ratione nostra existentiam Christi, sed eam supponit: ergo reparatio hominis non potest esse causa finalis mouens Deum ad decernendum Christum. Minorem dari à P. Suarez ostendi §. 269. nam propter opera existentis Christi datam censet gratiam Adamo. Maior probatur, quia causa finalis conuenit cum efficiente & materiali in ratione principij & causæ: ergo etiam conuenit in prioritate. Deinde hæc est bona causalis, *Res existit, quia Deus eam vult ad finem*: hæc verò mala, *Ideo Deus vult rem, quia existit*. Quæ ratione probari solet causarum prioritas. Ratio à priori: quia agentia libera, priusquam liberè operentur, cognoscunt bonitatem rei operabilis; deinde eam amant, aut propter se, si est finis; aut propter finem, si est medium: posito verò hoc amore efficaci executrix facultas perficit obiectum cognitum & amatum ex imperio voluntatis: vbi apertè cernitur prioritas causæ finalis.

§. 284. Confirmatur. Per priorem voluntatem Christus videtur existens, & constitutus ex non esse in esse tam independentè à secunda, vt sine illa existat, alioquin non esset causa adæquata: ergo secunda voluntas non est principium vt Christus existat, quia non est voluntas extrahens actualiter Christum ex non esse ad esse: quia ante illam est existens. ad quam extractionem nullo modo secunda concurrat. Bene capio, duos fines apprehensos & amatos ante operis executionem simul mouere potentiam executricem ad opus: at postquam opus est constitutum in rerum natura, idque videtur, postea per alium finem moueri efficaciter voluntatem ad faciendum opus idem, non capio. Ad actum gaudij de obiecto iam existente moueri possumus alios ob fines: item, & ad actum conditionatum illius faciendi, si non esset effectum: ad actum autem absolutum efficacem non possumus. Hinc defendi potest doctrina B. Thomæ de duplici titulo ad primam gloriam, quæ paruulis est decreta non absolute, sed sub conditione perseverantiæ, vt ostendam. Deinde per primum actum bonum potest Deus moueri ad eamdem exequentiam, si perseveret. quod fieri non posset si prima gloria videretur existens ex vi prioris voluntatis.

§. 285. Dices Primò, eos duos fines illo ordine non habere locum in vobis, quia prius tempore existit opus factum ob vnum finem; quod iam non potest fieri per alium. Contrà: Deus per primum decretum tam videt Christum existentem independentè à secundo decreto, quàm si ea decreta temporibus essent diuersis: ergo tam repugnat effectum fieri per secundum à Deo, quàm à nobis. Antecedens patet, quia primum decretum est efficax & executiuum obiecti, quod per illud existe-

S. Thom.
q. 1. art. 3.

ret sine secundo decreto: in nobis id oritur ex defectu cognitionis. si tamen eodem instanti reali e-
liceremus actum intellectus ob vnum finem, &
tunc per alium actum reflexum cognosceremus
priorem iam existentem; non possemus tunc alio
actu voluntatis velle producere priorem actum,
non ex impotentia cognitionis aut voluntatis; sed
quia obiectum iam supponeretur existens. Ratio
à priori: quia diuersitas temporum parum refert ad
causalitates, quarum dependentia aut independen-
tia consideratur in eodem instanti reali ex pri-
oritate naturæ in rebus creatis; in diuinis autem
decretis ex prioritate rationis.

§. 286. Dices Secundò, producto effectu propter
vnum finem, eum posse conseruari propter duos.
Bene: sed conseruatio in ratione conseruationis
in instanti sequenti esset posterior, quàm secundus
finis: ergo causa finalis est prior suo effectu: sed de-
cretum conseruandi Christum per totam æterni-
tatem ex effectu redimendi homines, esset poste-
rius: quàm conseruatio Christi per totam æterni-
tatem: ergo non est principium illius. Probo Mi-
norem: quia per te Deus per primum decretum
voluit producere Christum per totam æterni-
tatem, vt aiunt, à parte post: quia est decretum adæ-
quatum de illo: alioquin ex vi illius Christus non
posset existere nisi per vnum instans, aut certum
tempus. Dices Tertio, per secundum decretum
productam fuisse secundam actionem nouam, per
quam Christus verè producitur, & est effectus il-
lius secundi decreti: ergo Christus producitur per
secundum decretum. Non repugnare Christum
produci duabus actionibus adæquatis per illa duo
decreta, tam certum est, quàm duas causas adæqua-
tas posse simul diuinitus ad effectum eundem
concurrere: at ipsa ita factum esse nec P. Suarez
admittit, nec est fundamentum vllum. Imò nec
multum pertinet ad commendandam magnitudi-
nem amoris Dei erga nos nobis donantis Filium
in nostrum vindicem. Quid enim daret per secun-
dum decretum, nisi modulum quemdam acciden-
tarium?

§. 287. Imò verò non videtur Christus simpli-
citer esse effectus illius decreti: nam illud tantum
vult actionem circa Christum: ergo sola actio est
effectus illius actus. De cōsequētia non est dubiū.
Antecedens probo: quia illud decretum in ratione
efficacis solum vult obiectum, cuius est princi-
pium, & quo est prius ratione: sed solius actionis
est principium, & ea sola est prius: ergo illam so-
lam vult. Minor est clara, quia existentia Christi
iam erat existens simpliciter, & prior secundo de-
creto. Maior patet, quia ille est modus, quo causa
finalis mouet.

§. 288. Dices, Christum non supponi existentem,
vt per hanc actionem. Contrà: Id probatactio-
nem esse formaliter volitam, & Christum volitum
denominari productum per illam, non tamē ipsum
Christum esse simpliciter volitum. Recognosce,
quæ dixi à §. 256. huc enim faciunt, & multò effi-
caciùs: ibi enim non supponitur Christus produ-
ctus per vnam actionem; hinc autem iam suppo-
nitur.

§. 289. Dices Secundò: qui vult efficaciter a ctio-
nem, velle efficaciter terminum. Contrà: Si termi-
nus præuideatur existens priusquam ametur actio,
nego terminum simpliciter amari per amorem se-

cundæ actionis: quia amor simpliciter est volun-
tas, quæ simpliciter est principium termini secun-
dum suam existentiam, quod tunc non fieret: a-
matur autem non simpliciter existere, sed existere
per hanc actionem posteriùs quàm per aliam. si
autem terminus non supponeretur, qui amaret ef-
ficaciter actionem siue vnam, siue duas; dummo-
do inter illas nulla esset prioritas, amaret simpli-
citer terminum, qui per illum actum simpliciter pro-
duceretur, & haberet existentiam non habitam a-
liunde. Exemplum est in corruptione: si enim
Deus destruat vnam actionem manente alià circa
eundem terminum, licet illa voluntas terminetur
efficaciter ad corruptionem termini, quia carentia
actionis est corruptio termini; tamen simpliciter
non corrumpitur terminus, sed tantum secundum
quid, id est, definit generari per illam actionem.
quòd si Deus non vellet relinquere actionē aliam,
non posset efficaciter velle priorem corruptionē,
quin vellet terminum corrumpi simpliciter. Idem
dixerim de actione præsupponente iam terminum
eodem instanti, cuius voluntas efficax non est
simpliciter voluntas termini.

§. 290. Dices Tertio: Ista secunda actio est ac-
tualis productio Christi: ergo Christus simpli-
citer producitur per illam: ergo voluntas secunda est
voluntas vt simpliciter sit Christus. Concedo pri-
mam consequentiam, & nego secundam: quia
actio supponit per accidens aliam: ob quod non
impeditur quo minùs absolutè producat: at se-
cunda voluntas supponit per se primam: ob quod
non est voluntas de substantia Incarnationis sim-
pliciter, sed secundum quid, vt per hanc actionem.
vide §. 261. 262. & 263.

§. 291. Hinc colligo, quàm exiguè luceret cha-
ritas Dei in homines redimendos comparatione
charitatis, quam Deus de facto exercet, si Christus
iam esset existens prius ratione, quia non esset vo-
luntas de mittendo absolutè Christo, sed secun-
dum quid, vt per hanc actionem. Item donaret
nobis id, quod iam non poterat non dare: quia
ex suppositione primi decreti Christus necessariò
veniret: at secundum decretum per se pendet ab
ea suppositione: ergo esset in sensu composito de
obiecto, quod non poterat non dari in eo sensu.
vide §§. 259. & 260. ibi enim dicta vrgent hanc o-
pinionem, & acutiùs: quia ibi Christus videtur si-
ne productione; secùs hinc.

SECTIO XII.

Propria sententia.

§. 292. Igitur Deus decreuit absolutè Incarnatio-
nem ante præuisum peccatum, & in eius
emendationem, si committeretur. Quamuis hæc
conclusio est contra S. Thomam, eam tamē censet
ipse probabilem, quam sequuntur nonnulli Tho-
mistæ: quorum iam memini. item Scotus cum sua
phalange, P. Suarez, & alij multi: S. Bonauentura
asseruit eam esse magis consentaneam rationi; sed
videri minùs adsonare sacris Scripturis. Si ergo fa-
cile, & sine vi, sed pede inoffenso sacras Scrip-
turas explicuero, non dubium quin sit præferenda:
eas autem quàm facillimè explicabo sect. 13.

§. 293. Ratio à priori huius sententiæ nulla est
præter voluntatem Dei, quam clarè ex sacris Scri-
pturis

pturis nec S. Thomas, nec nos possumus deducere: mihi satis est Scripturas sacras & sententias explanare dilucidè: quo facto omnes eam sequentur. Sunt tamen plura argumenta probabiliora pro hac parte. Primum, quia Christus constitutus est caput angelorum per influxum gratiæ, quæ illis contigit per merita Christi: per quam mali habuerunt gratiam sufficientem ad perseverandû, efficacem boni, utrique autem gratiam sanctificantem. Quod si esse caput hominum tanti æstimatur à Deo; cur non æstimabitur pluris esse caput angelorum? ut nihil sit gratiæ nec in hominibus, nec in angelis nisi per merita Christi: at peccatum est post gratiam præuisam; fuit enim lapsus à gratia: ergo Christus fuit ante præuisum peccatum.

§. 294. Secundò, prima gratia Adami fuit ante præuisum eius peccatum, quam accepit ex meritis Christi: est enim congruentius dignitati Christi: etenim plus gratiæ & gloriæ habet nunc Adamus, quam si non habuisset illam primam gratiã. Finge Adamum peccasse, quin præcessisset gratia, & reparatum cum æquali dispositione ac reparatus fuit: in eo euentu non haberet gratiam, nec gloriam, nisi respondentem dispositioni, nunc autem habet correspondentem dispositioni, & primæ gratiæ: viuificantur enim merita quavis dispositione coniuncta cum remissione peccati: ut ostendi vol. 2. disp. 144. à §. 56. sed illa gloria & reuiuifcentia respondens primæ gratiæ non esset adæquate & perfecte per merita Christi: ergo data est per ea merita. Probo Minorem, quia reparatio esset per merita Christi, non verò gradus respondens primæ gratiæ: ille enim redditur ut respondens primæ gratiæ. ut, si calor esset abiunctus à ligno, & ego illum applicarem; effectus inde secutus mihi deberetur ut applicanti, substantia autem effectus deberetur calori: ita ablatio impedimenti deberetur Christo, non verò substantia gratiæ & gloriæ.

§. 295. Dices: Reuiuifcentia non debetur primæ gratiæ ex natura rei, sed tantû ex voluntate diuina: quæ mota est per merita Christi. Duo ergo impetrauit Christus Adamo. Primum, pœnitentiam cum remissione peccati; secundum, ut eius merita reuiuifcerent, quod non debebatur. Vnde substantia gratiæ integræ debetur Christo. Fateor hæc bene componi sic: ea autem sententia est difficilis: plures enim censent reuiuifcentiam esse naturalem gratiæ mortificatæ, quando redditur ad gratiam. in qua opinione vim habet argumentum; non tamen euincit intentum: quia quamuis reuiuifcentia debeat ex natura rei meritis mortificatis; quando homo iterum iustificatur; tamen Deus potuit negare illam connaturalem reuiuifcentiam, quam non concederet nisi per merita Christi. Quemadmodû gloria corporis debebatur Christo connaturaliter; tamen nisi per mortem eam non accepit. Quo respondetur huic argumento. recognosce §. 60.

§. 296. Tertio, omnes prædestinati id beneficium acceperunt ante præuisum peccatum: est enim prædurum existimare voluisse Deum ad prædestinandos homines expectare, ut in Adamo omnes essent damnati.

§. 297. Obijciunt Primò, charitatem Dei merè commendari: *commendat enim Deus charitatem.*
Pet. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

suam in nobis: quia cum adhuc inimici essemus, Christus s. Thom. secundum tempus pro nobis mortuus est. Respondeo, q. 2. art. 3. eam mirabilius commendari in mea sententia: quia & ante peccatum nos dilexit donans nobis Filium suum, ut per illum prædestinemur cum præparatione animi ad moriendum pro nobis, si peccatum id exposcat, eo autem præuiso, pro nobis moriens. Primum itaque ut essemus electi; Secundò, auxiliari ne peccaremus; Tertio, eruens iam lapsos: in nullo ergo statu Deus nos reliquit absque Christo.

§. 298. Obijciunt Secundò, nos prædestinatos in Christo per eius merita morte consummata. Respondeo Primum, prædestinationem includere multos effectus: primam gratiam, reparationem, & perseverantiam. Prima gratia collata est angelis & Adamo per actus amoris, & aliarum virtutum abstrahentium à morte; per quos completa est angelorum prædestinatio: per eadem merita habuit Deus voluntatem eligendi eam seriem rerum, qua certissimè liberarentur electi, si Adam non peccaret; si verò peccaret, eligere decreuit aliam seriem, qua infallibiliter saluantur quicumque liberantur. Præuiso autem peccato voluit Deus alios actus & merita morte consummata: quia hæc noua series fuit electa propter hæc merita: sic consummata est nostra prædestinatio, & reparatio per mortem Christi.

§. 299. Secundò Respondeo, Christum potuisse nobis primam gratiam impetrare per merita morte consummata: quia mors externè illata Christo non fuit meritoria, nisi ut obiectum acceptationis internæ, quæ acceptatio non fuit actus absolutus merendi, sed acceptandi mortem, nec eam fugiendi, si inferri tentaretur: qui actus est morte consummatus affectiue: cuius meritum non augetur effectu ipso, & potuit esse in Christo, tamen si non occideretur effectu, de quo fusè disseram disp. seq. est enim difficultas ingenio digna.

§. 300. Obijciunt Tertio: Cur ergo Deus constituit Adamum caput morale hominum? Quia voluit an Deo defunt rationes, quibus factum honestet, & pactum?

SECTIO XIII.

Vtrum, si Adam non peccasset, Verbum fieret homo?

§. 301. PONO impugnatas opiniones illas absolutas de actibus confusis Dei. est hæc difficultas alia à præcedenti. Qui enim constituit Christum prædestinatum ante peccati præuisionem, sunt bipartiti: aliqui volunt Incarnationem non futuram nisi dependenter à peccato Adami, quos retuli sect. 7. & impugnauit. Alij verò admittunt Christum venturum, tamen si non peccasset Adamus; quibus ego subscribo. hi sunt Scotus, P. Suarez, & alij plures: SS. Thomas & Bonauentura censent eam opinionem esse probabilem. nescio quis huic sententiæ erroris notam inulit per libidinem aliorum scripta arrodedi. Quæ autem controuersia sit nobis hic cum P. Suarez de optimo modo mittendi Christum, dicam disp. 14. à §. 3.

S. Thom.
q. 2. art. 3.

SUBSECTIO I.

Probatio sententia.

§. 302. **H**uius sententia probatio est voluntas Dei: quam etsi certò non possumus assequi, probabiliùs vestigamus: quia tantum bonum non erat alligandum peccato, nec ex eo expectanda occasio. Quamvis enim Deus non permitteret peccata, nisi ex eis eraturus insignia bona; iam id ego explicui in prædestinatione de voluntate conditionata remittendi peccata, aut puniendi, alijsque bonis attinguis peccato. cur autem spectaret peccatum ad excellentissimum inter omnia possibilis opus relicto principatu in angelos per influxum gratia?

§. 303. Secundò ostendi §. 294. primam gratiam datam angelis & Adamo per Christum: ergo gratia Adami & angelorum stetit, tamen nec angeli, nec Adamus peccassent: quia hæc fuit prior, & minimè pendens à peccato; ita & Incarnatio stetit: quæ fuit prior, quàm gratia angelis collata, & Adamo. Denique hæc conclusio non aliunde probatur, quàm argumentis pro conclusione probata sect. 13.

SUBSECTIO II.

Ex responso ad argumentum explicata doctrina.

§. 304. **E**X argumento opposita sententia auctororum doctrinam explano. Obijciat quis: Per te Incarnatio fuit decreta in emendationem peccati: ergo dependet à peccato præiusto: ergo non existente peccato non esset Incarnatio. Prima consequentia probatur: quia emendatio & medicina est post præiustum peccatum & morbum; alioquin præiustus Deus medicinam ante morbum, morbus quoque præiustiretur. Secunda consequentia est liquida: quia deficiente occasione morbi, medicina quoque deficeret.

§. 305. Iam dixi §. 3. Christum posse considerari ut redemptorem in actu primo iam proximo, & expedito & parato ad redemptionem actualem: item & Christum posse considerari ut redemptionem actualem. Christus ante peccati præiustionem fuit redemptor in actu primo proximo: quia ipse habuit corpus aptum ad mortem, quam si nollet reculare, subiret: item ut homo habuit voluntatem formalem de non fugienda morte, sed acceptanda pro remissione peccati hominum, si in id inciderent. Hæc est medicina in actu primo proximo parata. Ut si ego cum pharmaco sum præstito homini periclitanti curando, si vulneretur: quis negat me esse chirurgum in actu primo proximo, & parato: si verò peccatum non sit, Christus non moteretur, sicut nec homines: & habuit alios actus (vel eundem) conditionatos de beandis hominibus per sua ipsius & illorum merita in statu innocentia. ut ego ferens pharmacum amico si egeat, sum paratus ad providendum eius saluti non medicina curante actu, & absolute, sed sub conditione si laucietur; item illi provideo medicina præservatiua, ne laucietur. ita Christus primo decreto est amatus, ut absolute conferat primam gra-

tiam, & auxilia, ne cadatur: sub conditione autem est decretus redemptor.

§. 306. Redemptio actualis & absoluta sunt merita Christi, id est, actus liberi non solum de non fugienda morte, si inferatur; sed eam offerendi in remissionem peccatorum. De hac redemptione actuali non fuit in Deo decretum absolute, sed conditionatum, ut probat argumentum ex §. 304. At fuit decretum conditionatum de eadem redemptione, si peccatum contingeret. ut chirurgus ante vulnus inflictum non habet voluntatem absolutam, sed conditionatam de usu pharmaci; eam autem habet viso vulnere.

§. 307. Quæ possunt explanari exemplo ignis æterni, qui paratus est diabolo & angelis eius: eum ignem absolute creavit Deus, absolute (inquam) quoad substantiam: item & ad supplicium, non ad supplicium absolute, sed sub conditione si peccarent angeli. ob quod boni non sunt puniti igne, quia non peccaverunt; mali autem sunt puniti, quia peccaverunt. itaque iustitia vindicativa prius ratione, quàm videret existere bona & mala opera angelorum, non exercuit actum absolute circa supplicium actuale, sed conditionatum: produxit tamen ignem, ut præstito esset ad supplicium, si esset opus. Viso bono opere bonorum angelorum exercuit actum absolute eos non puniendi; viso autem malorum peccato exercuit actum absolute eos puniendi: itaque ante peccatum paratus est ignis omnibus, si peccarent. Idem dico de gloria æterna: cælum enim effecit Deus in curiam, ubi conspiceretur ab omnibus, si id mererentur.

§. 308. Hinc fit Primò, si Adam non peccaret, adhuc Deum hominem futurum: quia per merita Dei hominis habuit Adam gratiam sufficientem ad non peccandum: ergo tamen non esset peccatum, esset Deus homo; sicut esset gratia sufficiens: quia Deus iam erat homo in illo priori, in quo data intelligitur gratia per ipsum.

§. 309. Quod probo exemplo peccatorum actualium. In omni sententia habemus ex gratia per Christum posse vitare peccata mortalia & venialia suo more. Venit ergo Christus, ut nos redimeret à mortalibus personalibus: id est, viso originali, venit ad dandam gratiam sufficientem pluribus, efficacem alijs ad ea vitanda. quæ voluntas non intelligitur esse redemptio curatiua actualium; sed præservatiua. At visis multorum peccatis, datur ex gratia per Christum vis ad poenitentiam: hæc est voluntas absolute curandi vulnera. At Christus venisset, tamen nullum peccatum personale committeremus: quia antequam committatur, iam Christus est præiustus auxilians in actu secundo ad illud fugiendum, de quo vberius disp. sequi. ergo eadem ratione Deus factus fuisset homo, tamen non fuisset peccatum originale: idem enim quod omnes dicere tenentur de actualibus personalibus, dico ego de originali: à quo Deus voluit nos sub conditione erueret; lapsos autem eruit absolute.

§. 310. Secundò deduco, peccatum originale, & multa alia actualia personalia pro illo priori considerari ut imminetia: tum quia erat de illis periculum ob naturæ imperfectionem, tum quia pro illo priori partim physico naturæ imperfectæ, partim logico scientiæ mediæ iam censabantur, tum imminere, tum fore sub conditione: quia futura erant sub conditione huius seriei. quam conditio-

nem Deus decreuerat. Ob quod ex suppositione scientia mediæ; & illius decreti, iam non poterant non esse. Ob quod dico ea esse imminencia. Nec propterea dico à scientia illa mediæ pendere vllum decretum ex illis; nec esse præfinitionem vllam: quia scientiam mediæ constituo priorem logicè in subsistendi consequentia, non tamen priorem quasi physicè, & quasi per influxum aut dependentiam, vt dixi in prædestinatione.

§. 311. Tertio deduco, in æstimatione morali decretum Dei conditionatum de redimendis nobis si peccaretus, fuisse absolutum, siue pro absoluto debere computari quoad gratiarum actionem: quia qui videt in hac serie rerum euentura peccata, & vult eam seriem, & in ea parat medicinam, perinde est ac si medicinam applicaret vulnere iam inflicto. Vt si ego video te in itinere vulneratum iri, si illud facias; & videns te illud facere, feram pharmacum ad curandum, perinde est ac si faucium curarem. idem dixi de electione ad gloriã: quia volens Deus tibi gloriã per mediã habitura effectum, id quæ videns, dedit mediã, perinde fuit moraliter, ac te eligere sine meritis: secus de pœnis, quas noluit antecedenter.

§. 312. Tandem inferitur, Deum pleno ore dicendum misisse Filium suum in reparationem generis humani à peccato: quia & conditionatè id voluit, & vidit sequendam reparationem, si Filium mitteret, eum quæ misit ex affectu nos reparandi, si laberemur, vt absolutè dicitur chirurgus iter aggredi, vt curet amicum, quem certò sciret vulnerandum si iter aggredereetur; & vidit illum aggredi.

SUBSECTIO III.

Respondetur argumentis ex sacra Scriptura.

§. 313. **M**ulta testimonia congerunt auctores contra hanc sententiam; singula expendam, vt liquidò constet quàm immunis sit hæc sententia ab omni vi. Ac Primùm pono, quod cõtra Scotum dixi à §. 17. ex sacra Scriptura clarè colligi Verbum factum hominem quoad substantiam propter nostram salutem, & redemptionem à peccato, nec solùm quoad passibilitatem. *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de caelis, & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, & homo factus est.* Quæ omnia sunt de substantia Incarnationis. additur, *Crucifixus etiam pro nobis: vbi coniunctio passionis adiungitur priori fini.* *Qui ad imitandum humilitatis exemplum, filium tuum carnem sumere, & crucem subire fecisti.* Vtrumque igitur pro nobis: in hoc sensu omnia componam.

§. 314. Primùm afferri potest symbolum Athanasij, & oratio Ecclesiæ adducta §. superiori. Respondet ex §. 312. Deum id effecisse primo illo decreto tum propter nostram salutem æternam, quam tunc prædestinavit actibus illis quos explicui §. 300. tum pro illo priori voluntate conditionata nos redimendi à peccato, si laberemur: tunc enim habuit voluntatem conditionatam eligendi per merita Christi morte consummata, aliam rerum seriem, qua certissimè liberantur quicumque liberarentur: peccatum autem pro illo priori physico naturæ, cernebatur esse contingens, & pro priori logico scientiæ mediæ, videbatur sub conditione futurum. At si non esset absolutè peccatum, adhuc

Pet. Hurtado de Mendoza de Inc. arn. pars I.

veniret Christus, vt veniret, si non essent nostra actualia; à quibus tamen Deus nos voluit redimere. Ita ad imitandum humilitatis exemplum: quia & humilitas exerceri potuit in statu impassibili, vt nunc in calis; & sub conditione, si esset opus propter peccatum imminens, & futurum sub conditione.

§. 315. Sic expono omnia testimonia constituentia nostram salutem & redemptionem pro fine Incarnationis, quæ adduxi à §. 17. pro conclusione proposita §. 16. *Commendat Deus, &c.* quod iam explicui §. 297. item, *Vt eos, qui sub lege erant, redimeret,* sub conditione si opus esset, & moraliter, vt dixi §. 311. item, *Venit saluum facere, quod perierat.* Nam si agitur de primo decreto, venit saluare omnes, & qui moraliter perijisse censebantur propter peccatum imminens, & futurum sub conditione, id est, saluare paratus perituros, vt venit nos saluare à peccatis actualibus. & quemadmodum hoc non obstante veniret nobis non peccantibus personaliter; ita non obstante redemptione, veniret, si non esset originale. Concludo igitur, nullo sacra Scripturæ testimonio probari, Deum non futurum hominem, nisi Adam peccaret; sed Incarnationem referri ad nostram salutem & redemptionem. quod ego fateor de originali, vt ipsi de actualibus: & sub conditione à peccato imminenti, & sub conditione futuro.

SUBSECTIO IV.

Respondetur ad sanctos Patres.

§. 316. **P**. Ragusa disp. 28. à §. 12. plura testimonia affert ex Patribus Græcis atque Latinis: è quibus nonnulla assignant causas Incarnationis nostram salutem & redemptionem: alia verò dicunt nullam esse causam, nisi reparare naturam, quæ ceciderat: alia denique excludunt Incarnationis existentiam, nisi dependentem à peccato. Augustinus: *Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla est causa veniendi:* tom. 10. serm. 8. de Verbis Apostoli: *Si homo non perijisset, filius hominis non venisset.*

§. 317. Quibus respondeo, causas easdem assignatas à nobis à §. 16. sed in diuersa consideratione, ac ab auctoribus oppositis: ij enim eas constituunt absolutè existentes prius ratione, quàm discernatur Incarnatio: ego illas constituo pro illo priori sub conditione existentes atque præuisas; item & imminentes: ob quarum periculum factus est Deus homo, vt sanaret homines, si lauciarentur. A qua doctrina Patres minimè sunt auersi. Idem dico ad secundum genus testimoniorum: nullam enim causam adæquatam ego admitto independentem à nostra salute absolutè procuranda; item & à peccato imminenti, & sub conditione præuiso: ob quæ homo moraliter censebatur, ac si in peccatum cecidisset absolutè. Quòd si non cederet, etiam venisset Christus: venit enim propter imminentem casum: quem vt vitaremus, erat necessaria gratia per Christum; ad quam conferendam fuit misus à Patre. Venit item, vt nos redimeret à lapsu, si contingeret. Quod explicari potest de peccato originali, vt explicatur de nostris actualibus: venit enim Christus voluntate absoluta Dei dandi gratiam sufficientem per merita Christi, ne in illa laberemur: item voluntate conditionata

S. Thom.
q. 1. a. 3.

conferendi gratiam reparatricem, si in actualia laboreremur. At tamen si nullum esset actuale nostrum, Christus veniret: quia ideo non esset actuale, quia gratia per Christum vitaretur. At nullus potest catholicè dicere non fuisse Christum missum à Deo, ut nos redimeret à peccatis actualibus, ut non potest dici eum non fuisse missum ut nos eriperet ab impoenitentia finali: à qua imminente nos liberauit, in quam laboreremur, nisi tenti eius gratia. Eadem ergo ratione asserendum est, Christum venisse, ut nos redimeret à peccato originali ex voluntate absoluta Dei dandi nobis sufficientem gratiam per Christum, qua illud possemus in Adamo vitare: item voluntate conditionata dandi gratiam ut inde surgeremus, si laboreremur. Ad quod non fuit opus videre peccatum originale in statu absoluto priusquam decerneretur Christus: sicut non est necesse in peccatis actualibus. Quæ comparatio demonstrat apertè, non esse opus ad explicandos Patres constituere Christum post absolutam prævisionem originalis peccati. Tertium genus testimoniorum eadem ratione: excludunt enim Incarnationem nisi dependentem à peccato, non quidem absolutè præuiso, sed imminere. Tolle igitur imminentes morbos; & non est causa veniendi: venit enim, ut vitarentur, quæ voluntas fuit absoluta: venit item, ut curarentur, si esset opus. En quàm facilè Patres expono.

SECTIO XIV.

Verùm decretum illud transeat in absolutum?

§. 318. **F**requenter usurpatur actum conditionatum in absolutum transire. Quod potest accipi bifariam: primò, formaliter; secundò, virtualiter. Formaliter transit, quando in nobis idè realiter actus, qui erat conditionatus, posità conditione transit in absolutum sine alio actu realiter distincto. Ex. gr. si naus venerit, dabo tibi centum; deinde adueniente naui & à me cognita, do tibi centum eodem numero actu absque alio distincto. Quod autem in nobis contingit vno realiter actu, contingit in Deo vno ratione: actus enim, quo dicit: Dabo Petro gloriam, si in gratia decesserit, est idem ratione nostra cum actu, quo absolutè illi dat gloriam viso in gratia decessu. Virtualiter autem transit conditionatus in absolutum, quando visà conditione oritur in nobis alius actus distinctus realiter, quo absolutè dantur centum; in Deo autem alius ratione nostra, quo absolutè datur gloria. Dicitur autem conditionatum in absolutum transire: quia visà conditione actus conditionatus mouet voluntatem ad absolutum: si enim perseveret actus conditionatus, & videatur conditio, non potest non sequi absolutum. conditionatus enim erat efficax in suo genere; visà autem conditione non potest non sequi absolutum: quia conditionatus non fuisset efficax in suo genere. Ut ergo non sit actus absolutus, exigitur alterum è duobus, vel ne sit actus conditionatus, quando videtur conditio; vel ne videatur conditio, quando est actus conditionatus.

§. 319. Dico, actum conditionatum transire in absolutum virtualiter, non formaliter; ut proba-

ui à §. 132. ad 137. Quod apertè confirmo ex §. 133. in nobis est realiter separabile hoc prædicatū, *Volo dare centum, si naus venerit*, ab hoc, *Volo dare centum, quia naus venit*: ergo hæc duo prædicata sunt in nobis realiter distincta. Consequentia hæc est per se nota in rebus creatis, Antecedens autem probò, quia antequam veniat naus, est in me realiter prædicatum primum, ut pono: si autem naus non veniat, non est in me realiter prædicatum secundum, ut omnes fatentur: sed aduentus naus est realiter separabilis à primo prædicato, ut est ex terminis notum: ergo primum prædicatum est realiter separabile à secundo: sed primum prædicatum est idem realiter cum actu conditionato; secundum autem cum absoluto: id absolutum enim ideo vult dare centum, quia naus venit, siue quia conditio videtur impleta, vel (ut frequenter aiunt) purificata: visio enim conditionis mouet voluntatem, ut det absolutè centum: ergo actus conditionatus & absolutus sunt realiter separabiles. In Deo idem probatur: quia prædicatum conditionatum est in denominatione libera separabile realiter ab absoluto in denominatione etiam libera: quia Deus potest realiter velle dare Petro gloriam si in gratia decesserit, quin realiter velit absolutè illi dare gloriam: quia potest Petrus non decedere in gratia: eo autem sic non decedente, non impletur aut purificatur conditio: qua non purificata actus conditionatus nullo modo transit in absolutum, neque formaliter, neque virtualiter. potest ergo Deus realiter velle dare gratiam sub conditione, quin realiter velit illam absolutè dare. quæ est separatio realis illorum actuum, non quidem in aliqua entitate (sunt enim omnes vna-entitas indiuisibiles) sed in denominatione libera volendi: illa enim entitas potest velle realiter, & potest non velle realiter.

§. 320. **C**onfirmatur ex §. 132. Scientia absoluta Dei est ratione distincta à scientia conditionata: quia licet terminentur ad idem obiectum liberum, tamen in diuerso statu: propter quem statum distinguuntur illæ scientiæ, & inter se, & à scientia simplicis intelligentiæ. alia enim terminatur ad statum necessarium creaturarum; alia ad liberum existentiæ conditionatæ; alia ad liberum existentiæ absolutæ. Tum etiam, quia hæc prædicata sunt distincta ratione, *Deus iudicat rem liberè existere absolutè sub conditione*: *Deus iudicat rem liberè existere absolutè*. Ob quod hæc duo prædicata sunt realiter separabilia in denominatione libera; in nostris autem actibus sunt separabilia realiter in entitate: ergo voluntas conditionata & absoluta distinguuntur in nobis realiter, & in Deo ratione. Probo consequentiam, quia actus voluntatis distinguuntur per eadem principia, per quæ actus intellectus. Simplex enim complacentia terminata ad res in statu possibili distincta est ratione à desiderio & gaudio de existentia absoluta rerum earumdem: item desiderium conditionatum, & gaudium de obiecto sub conditione existente ratione distinguitur à voluntate efficaci, & gaudium de obiecto existente absolutè. Tandem sicut iudicare rem absolutè esse, ratione distinguitur à iudicare rem sub conditione esse: ita velle rem absolutè esse, ratione distinguitur à velle rem sub conditione esse.

§. 321. Obijcis Primùm, argumento probari illos actus distingui non in se, sed tantum per con-

nota-

notata diuersa. Contrà: In nobis actus illi realiter distinguuntur: quia Petrus promittens centum, si nauis venerit, non habet in se entitatem, qua velit absolute dare centum quia nauis venit. Quod in scientia est manifestum: quia Petrus iudicat verè stupam combustum iri, si applicetur igni. item potest ex reuelatione scire Antonium iri conuersum, si vocetur: & tamen applicatà stupam, & Antonio vocato potest ignorare eos euentus absolute existentes: quia potest ignorare conditionem esse completam: ergo illa distinctio non est per connotata. Probo consequentiam: quia illa sententia de connotatis ait resultare necessariò denominationem posito connotato, sicut resultat denominatio relationis posito termino: sed posita conditione non resultat in nobis necessariò denominatio scientis aut volentis absolute: ergo non facit huc sententia de connotatis. Item eadem ratione dici posset conclusio formalis non esse distincta: quia præmissa per connotationem ad obiectum conclusionis possunt illud percipere sine nouo actu. In Deo autem est opinio manifestè absoluta: quia scientia visionis non esset distincta à simplici intelligentia: hæc enim posito obiecto illud perciperet necessariò sine nouo actu distincto ratione nostra, sed solum per connotationem obiecti. Idem dicerem de scientia conditionata, quæ non esset distincta à simplici & absoluta.

§. 322. Obijcis Secundò, illa prædicata propofita §. 319. esse quidem separabilia realiter, non quoad aliquid intrinsecum, sed quoad extrinsecum: quia actus Dei non transit de volente conditionatè in volentem absolute formaliter: ita vt posita conditione Deus sit absolute volens: hoc enim non est formaliter, neque per actum illum, neque per alium: est autem absolute tribuens gloriam: quia posita conditione effectus oritur ab illo actu conditionato; non secus ac si esset actus absolute: in quo est virtualiter absolute, id est, habet virtutem actiuam absolute. Quod probo. quia actus ille vult producere gloriam si merita sint, & nos à peccato reparare, si peccatum sit: ergo posito peccato, non est opus nouo actu ad reparationem; & positis meritis, non requiritur nouus actus ad gloriam. Secundò probatur, quia, quando Deus vult producere ignem, & est iam applicatio, non est opus nouo actu Dei ad producendum ignem, qui illo primo producitur: ergo eadem ratione si popatur conditio, non exigitur nouus actus, sed ille prior conditionatus producat effectum. Quo differunt actus voluntatis ab actibus intellectus scientiæ mediæ, & absolute; quæ cum speculatiuæ sint, non fortuantur denominationes efficientium, sicut eas fortuantur actus voluntatis. Ob quod ex separatione illorum prædicatorum rectè arguitur illarum distinctio: sicut argueretur in actibus voluntatis, si illa prædicata essent separabilia per intrinsecum. Hinc respondetur tam ad argumentum ex §. 319. quàm ad confirmationem ex §. 320.

§. 323. Contrà: Deus non solum donat absolute gloriam bene merenti, sed etiam vult absolute illam donare: ergo actus conditionatus transit in absolute formaliter, ita vt Deus sit volens absolute non per illum actum priorem, sed per alium; nec solum effectum, sed etiam affectum. Probo antecedens, quia Deus absolute nihil facit se solo, nisi illud volens absolute. quia eius omni-

potentia non dirigitur nisi actibus absolute, quos explicamus hac voce *fac hoc*: id est, absolute volo vt fiat. Actiones nobis libera non possunt à Deo amari efficaciter priusquam à nobis fiant: debent enim simul esse à Deo, & à nobis: ob quod non imperantur actu Dei efficaci de se, sed actu imitante voluntates conditionatas: ob quod dicitur omnipotentia determinari non à solo Deo, sed ab ipso, & à nobis. At verò actiones, quæ sunt à solo Deo, non oriuntur nisi à voluntate Dei efficaci de se: at gloria fit liberè à solo Deo: ergo actu efficaci de se, & absolute. Secundò probatur, quia actus conditionatus non vult absolute hinc & nunc producere gloriam: igitur gloria ab illo non producitur: quia in illam tantum fertur sub conditione, absolute autem numquam fertur. Posita autem conditione actus ille non fertur in obiectum diuerso modo: iam enim non esset idem, sed diuersus actus. Tertio, quia voluntas absolute præmij oritur immediate ex complacencia de meritis: sicut voluntas infligendi pœnam oritur immediate ex displicencia de peccatis. idè enim Deus gratiam exercet, seu remunerationem, quia illi placent opera bona: idè item pœnam infligit, quia videt opera mala. Quod argumentum est satis efficax ad probandum, præmij & pœnam oriri ab actibus absolute.

§. 324. Confirmatur. Negari non potest, esse necessariam scientiam visionis ad præmij, & pœnam. Est enim hæc scientia, quam Patres vocat approbationis, aut reprobationis, ad cuius trutinam reuocantur meritorum pondera. Sic Deus dixit Moysi: Video afflictionem populi mei, venio vt liberem. Dicitur item Deus vidisse peccata eorum qui operis præterant. Huc etiam spectat operum recensio in extremo iudicio: qua de re nullus dubitat. Ratio autem à priori est manifesta: quia Deus præmia decernit & supplicia oculis apertis, non velatis. Hæc autem cognitio nulla est præter absolute meritorum existentiam absolute: quia in nullo alio statu sunt absolute merita; sed tantum merita secundum quid. Stet ergo hanc scientiam absolute esse principium præmij atque supplicij: sed hæc non est necessaria immediate ad potentiam factiuam, quæ vt factiuam non percipit merita: percipere enim in Deo pertinet formaliter ad intellectum. Quod si aliquis actus intellectus immediate moueret potentiam factiuam, non esset iste visionis. Neque item scientia hæc requiritur ad actum priorem conditionatum, qui prius ratione quàm illa, existit in sua entitate & denominatione: qui post scientiam absolute non mutat modum amandi. Nonnulli sunt arbitrati scientiam absolute seruire illi actui conditionato, vt gloriam producat; quemadmodum seruit ipsi facultati voluntatis. At aperte falluntur: seruit enim facultati voluntatis, vt representato per illum nouo bono aut nouo eiusdem statu, exerceat nouum affectum amoris. cognitio enim ea ratione seruit voluntati, vt more potentia exerceat nouos affectus directi nouis cognitionibus. At verò vna volitio semel existens non potest mutare modum amandi. Do disputandi gratia eundem affectum permanere posse cum diuersis cognitionibus: at verò cognitiones illæ non mutant, sed conseruant modum affectus: si enim illum mutarent, non maneret idem affectus, sed alius. In nobis res est clara: quia cognitio noua extorquet à voluntate affectum:

S. Thom.
q. 1. art. 3.

s. Thom.
q. 1. a. 3.

at verò existens semel affectus, non mutatur cognitione noua: ergo neque in Deo ratione mutatur. Ut verò actus ille conditionatus operetur, non est opus scientia noua: tum quia ille actus non operatur immediate; sed potentia factiua, quæ immediate non dirigitur ea scientia: tum etiam quia, vt operatio prodeat à potentia factiua, vel ab illo actu conditionato, non est opus scientia absoluta.

§. 325. Aduerte animum à me dictum §. 194. non esse necessariam scientiam absolutam de applicatione ignis ad productionem alius ignis: idque probaui, quia non est opus nouo actu Dei; sed satis esse tres primos actus, de quibus est controuersia tota sect. 8. Hi actus sunt intentio efficax de hoc igne, electio efficax de hac productione, voluntas efficax de applicatione. Ex qua voluntate oritur applicatio: existente autem applicatione oritur productio à voluntate electiua: oritur inquam per physicam connexionem productionis cum applicatione: quæ productio volita est à Deo absolute & efficaciter. quòd si ante applicationem nõ prodijt productio, est, quia non erant omnia necessaria; existente autem applicatione nihil deest: quia ex parte creaturarum sunt iam omnia; ex parte verò Dei est voluntas efficax absoluta. In nostro casu non ita contingit: quia ad productionem gloriæ nõ est absoluta & efficax voluntas Dei: item ex parte creaturarum non est physica connectio: merita enim non annectuntur physice gloriæ: est igitur connectio moralis, id est per voluntatem Dei: at verò non annectuntur, nisi videatur meritum existens. est igitur necessaria hæc visio, non ad agendum præcisè, neque ad priorem actum conditionatum: ergo ad nouum absolutum. Quòd si posita applicatione esset necessaria illius visio ad productionem ignis, dicerem ego esse necessariam ad nouos actus Dei, vt contendunt auctores, cum quibus sect. 8. pugnaui. Neque dici potest non esse necessariam scientiam absolutam ad præmium, sicut neque est in exemplo ignis: est enim ratio diuersa, quia applicatio & ignis sunt physice nexi, & oriuntur à voluntatibus absolutis; præmium autem & meritum non ita. Neque tunc asseri potest scientiam visionis meritorum esse per accidens præmio & supplicio: vt visio applicationis est per accidens igni.

§. 326. Hinc patet ad obiectionem ex §. 322. actum illum conditionatum non posse imperare effectum sine alio nouo absoluto: eo autem ipso quòd est conditionatus, nõ potest se solo imperare effectum, sed indiget alio absoluto. Idemq; dicerem de actibus, quibus producitur ignis, aut anima infunditur in corpus: si enim Deus actu verè conditionato velit producere ignem, si sit applicatio; aut infundere animam, si sit corpus instructum; non potest ea præstare sine nouo actu absoluto, nec sine scientia absoluta de illis conditionibus. Posita igitur conditione & visa, voluntas vult absolute effectum, non quidem illo actu, sed alio: quia cum ille primus non sit absolutus, non potest esse ratio absoluta operandi; neque positio conditionis representatur illi actui, sed facultati voluntatis; vt ex nostris actibus probatur aperte. Neque in hoc est discrimen in intellectu & voluntate, vt contenditur illo §. 322. Hinc deduces efficacem confirmationem eorum quæ dixi à §. 322. ad 327.

S E C T I O X V.

Finis, ordo decretorum Dei: locus Christi atque Mariae.

§. 327. **A**ctus Dei nõ habet propriè causam finalem: quia enim sunt increati, carèt omni genere causæ. metaphoricè verò dicuntur habere finem: obiectum enim formale, quod prius amant, est impropiè illorum finis, per analogiam ad nostros actus, quorum obiectum formale est illorum finis. Item decreta Dei dicuntur habere causam finalem, non sui, sed creaturarum quas amant: nõ nullas enim volunt esse aliarum finem. Ostendi à §. 37. ad 44. rationes obiectiuas decretorum Dei circa hoc mysterium. Christus secundum suam substantiam vt homo amatus est propter se actu efficaci de se, & absoluto. Hoc decretum fuit etiam de producendo Christo propter nostram salutem; sed diuersa ratione: Christus enim, vt homo, decreuit fuit absolute; salus autem nostra conditionatè, si Christus illam veller suis meritis. Ex vi illius decreti visus est Christus existens; salus autem nostra, & angelorum sub conditione. Deinde vidit Deus opera Christi: pro quibus decreuit absolute gratiam. Finis autè nostræ gratiæ & salutis est gloria Christi: nostra enim salus amata est & propter se, & propter gloriã Christi: voluit enim Deus Christum cum gloria patris futuri sæculi, & principis pacis. Vnde Christus est finis omnium hominũ & angelorum: non quòd nostra substantia facta sit propter substantiam Christi: esset enim mutua causalitas finalis; sed quia nostra substantia facta est propter gloriã; gloria verò nostra propter gloriã accidentariam Christi, quæ est pater, & princeps regni cælestis. huius gloriæ ipse est finis cui. Hæc autem obiecta amantur eodem actu etiam indiuisibili ratione nostra.

§. 328. Hinc patet, Christum in absoluta existentia esse primum inter omnes creaturas: quia nulla præter illum fuit amata absolute & efficaciter illo decreto, sed tantum sub conditione. Deus decreuit creare angelos & homines in gratia, si Christus illam mereretur; si verò non mereretur, decreuit illos absque gratia creare. Hinc fuit effectum, vt nullus angelus, neque homo videretur existens nisi post præuisa merita Christi. Nõ quòd illa merita impetrarent substantiam angelorum & hominum: sed quòd Deus voluit illos producere in gratia impetrata per Christum. Vnde visi sunt existere omnes angeli, Adamus, & Eua. In quo signo non sunt visi absolute existentes posteri Adami, sed tantum sub conditione. Si enim Adamus perseveraret in gratia, generaret liberos iustos; si verò gratiam amitteret, illos gigneret peccatores: visò autem Adami peccato, Deus decreuit vt nascerentur in peccato omnes homines; à quo nullum voluit præseruari. Visà autem bonorum angelorum perseverantiã per merita Christi, & hominum reparatione per mortem eiusdem, decreuit illi gloriã corporis; item principis, & regis regni cælestis. Quæ gloria visa est post nostram salutem: quia per salutem nostram erat consequenda.

§. 329. Substantia Christi fuit decreta in illo primo signo abstracta à passibilitate proxima, & im-

pal-

passibilitate; sub conditione tamen perseuerantiæ Adami fuit impassibilis decreta: passibilis autem sub conditione peccati Adami, & sub conditione voluntatis Christi eligentis passionem. Per actus independētes à morte angelis & Adamo primam gratiam obtinuit: angelis item bonis integram prædestinationem. Lapsis autem hominibus elegit Christus passibilem vitam, quam accepit à Deo: per quam impetrauit hominibus reparationem: item omnibus hominibus gratiam sufficientem ad vitam æternam, electis autem efficacem. Pro nullo autem merita obtulit, vt conciperetur absque peccato originali.

§. 330. De Maria est alia ratio: fuit enim prima omnium creaturarum, quæ post Christum decreta est absolute. Quam Christus suis meritis impetrauit non solum in esse gratiæ, sed etiam in esse na-

turæ, vt dixi §. 96. cui existenti per merita Christi. Thom. eadem merita impetrauerunt merita ad materni- q. 1. art. 4. tatem: item & merita congrua, vt angeli & homines producerentur in gratia: quibus impetrauit plurimos suæ prædestinationis effectus. Per eadem merita excepta fuit non solum ab originali peccato, sed etiam ab eius lege absolute considerata. sub conditione tamen ea fuit lege conclusa: quia volens Christus eam produci, si nollet eam excipere à lege peccati, in eo conciperetur. Quod satis esse ad exactam redemptionem constat ex §. 98. Christus dicitur melius eam eripuisse absolute à debito peccati originalis: quia eam noluit pacto concludi ob sua ipsius Christi merita, sine quibus illi pactum imminēbat. Cælum, quatuor elementa, & alia corpora irrationalia simul ratione visa sunt existere cum Christo.

DISPUTATIO XIV.

Qua ratione Christus nos redemerit à peccatis?

S. Thom. art. 4.

SECTIO I. Prima conclusio.
SECTIO II. Secunda conclusio.
SECTIO III. Conclusiones alie.

SECTIO IV. Graues nonnullæ difficultates.
SECTIO V. Difficultas ex ipsa morte Christi.

§. 1.



Æc quæstio multas amplexa: vtrum Christus venerit ad emendationem peccati originalis dumtaxat, an etiam personalium? vtrum magis præcipue ob actualia, quam ob originale? vtrum Deus fieret homo, si deficerent actualia; an verò, si deficeret originale? vtrum actualia in eius nece commissa vitari potuerint per eius gratiam? quo autem pacto, meritis morte conlummatas nos redemerit? Siquidem eadem morte effecit, vt posset non occidi.

SECTIO I.

Prima conclusio.

§. 2. Dico Primò, Tamest nullum esset futurum peccatum nec originale, nec actuale, adhuc Deus fieret homo ex vi decreti presentis. Itaque Christus non est ita decretus, vt non veniret non existente peccato in statu absoluto. Hæc conclusio præmissa est disp. 13. à §. 301. & probata: quia prius ratione, quam peccare prævideretur Adamus, præuisus est Christus non solum existens, sed etiam impetrans Adamo iustitiam originalem, & auxilia efficaciam ad aliqua bona opera lapsu priora, & sufficientia ad eum continendum ne laberetur: quæ ideo ei sunt collata per Christum, ne peccaret: ergo tamest non peccaret, Christus veniret. Consequentia est certa: quia carentia lapsus esset effectus meritorum Christi, vt fuit carentia aliorum peccatorum, quæ per eandem gratiam vitauit: at effectus securus supponit causam, non destruit. Quod infra patebit à §. 17.

§. 3. Quamuis P. Suarez ab hac opinione est disp. 5. sect. 5. versu Dico ergo primò: tamen negotium nobis facessit vers. Dico ergo secundo: ex fundamento ab ipso prius iacto vers. Vt veritas exatè. Constituit enim primum decretum Dei de substantia Incarnationis optimo modo exequendæ

iuxta occurrentes occasiones. Considerat enim Deum per scientiam mediam spectantem Adamum lapsam in peccatum, si constituatur in ijs occasionibus, & cum ijs auxilijs; vel oppositum vt potuit esse: si Adamus in nullo statu conditionato videatur peccare, Deus fieret homo, tamest Adamus non peccaret in hoc statu absoluto: quia primum decretum de substantia Incarnationis exequendæ optimo modo, non habet necessariam connexionem cum permissione peccati in statu absoluto, quando non fuit præuisum in conditionato: tunc enim optimus modus se communicandi esset independenter à peccati permissione. si verò Adamus visus est sub conditione peccare in aliquo statu conditionato, & Deus non eligeret eum statum, sed alium, in quo non permitteretur peccatum; non veniret Christus ex vi presentis decreti: quia rectè argueretur, Deum non habuisse decretum se communicandi optimo modo: siquidem non elegisset permissionem peccati; quæ pertinet ad optimum modum.

§. 4. Hinc infertur, Incarnationem non pendere à peccato vt existente in statu absoluto: quia decreta est prius ratione, quæ illud est permissum; pendet tamen à peccato præuiso sub conditione, cuius permissio est necessariò eligenda ex vi primi decreti: si verò non prævideatur sub conditione, nec Incarnatio ab illo pendet. Quia verò peccatum